F. XIII. C
18
50923/B

24824.

Warren
30/11/10.

LAURENTII TERRANEI

Ph. & Med. Doct. Colleg. Taur.

DE

GLANDULIS UNIVERSIM,

ET

SPECIATIM

AD

URETHRAM VIRILEM

NOVIS.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud { THEODORUM HAAK, & SAMUELEM LUCHTMANS. } 1729.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Illuſtriſſimo Ampliſſimoque D.
D. JOANNI BAPTISTÆ DE AURIA
Marchioni Ciriaci, & Mari, Comitis
Petrælatæ, & Dulcini, Vallis Eccleſiæ
Condomino, Domino ſupremo Te-
ſtici & Ceſii, S. S. Mauritii, & La-
zari Majorum inſignium Equi-
ti, Prioratus Ripaliæ Com-
mendatario, Ducatus Au-
guſtæ Gubernatori, &
Magno Baglivo,
Et S. R. C. Caſtrorum Præfecto.

LAURENTIUS TERRANEUS
Servus, Subditus, Medicus
S. P.

AUSPICEM *mihi novum non in-voco, dum aliquem* AB AURIA *Heroem mihi Patronum efflagito, Illuſtriſſime Ampliſſimeque Domine, Ab illâ videlicet Stirpe Nobiliſſima, cujus in ſolo primam in lucem prodiiſſe, ſub umbrâ creviſſe, cujuſque Taurinum transplantatæ ſequarem fuiſſe gloriari hoc quoque*

 poteſt

poteſt familia mea, fidelius ſubditæ æquiſſimæ Dominationi, devotius addicta ampliſſimæ Dignitati, firmiùs obſtricta largiſſimæ Beneficentiæ, Excelſæ, Potentis Nobiliſſimæ Domus Tuæ, præcipui, ne dicam Unici, præſidii, & decoris meæ.

Terrere, fateor, tenuis hujuſce dedicationis audaciam debuiſſet ipſa vel AURIACI nominis Magnitudo, ex ARBOREIS (a) Narbonæ Comitibus fœliciſſimè Auſpicati; Ab Ampliſſimis Urbis, & Claſſis Januenſis Præfectis (b) magno regimine, multâ victoriâ Reipublicæ ſuæ utiliſſimis inclytè propagati. AURIACUM nomen, quod æternâ gloriâ illuſtravit alter ille Neptunus, (c) Galliæ, indéque Germaniæ exercituum Imperator Strenuus, Prudens, Fœlix: Reipublicæ ſuæ, Imperii, Fidei hoſtibus non modò, ſed magis Fortunæ, & Patriæ in Principem ſuum invocanti, invictus, magnanimus HEROS, quem Imperii columen Melphidis Principatus cum grandioribus titulis à Cæſare collatus; Patriæ Patrem, ac Aſſertorem æternum publicæ Statuæ decùs, plaudente Civium gratitudine erectum, atque obſervatum: Sæculi ſui miraculum ac Virum incomparabilem plenæ eôdem Hiſtoriæ (d) magnificè conteſtantur.

Moratur Certè meam Patrocinii Tui ambitionem, VIR AMPLISSIME, illa, quâ ſuprà communem Nobilium ſortem emicuere majores Tui, (e) Dignitas Supremi Principatûs, atque Dominii Urbis, & Vallis, quæ licet ditionis amplitudine paucis inter Liguſticas, cœli profectò temperie, atque clementiâ, Soli amænitate, ac beneficentiâ, populi frequentiâ, ingenio, fortitudine nulli cedit. Cu-

jus

(a.) Ab Ardoino, *Sanſovin. Famil. Illuſtr.*

b Uberto, Conrado, Lamba, Pagano, Philippo, Luciano, Petro Antonio, Thoma, *Sanſovin. Ibid.*

(*c.*) Andreas.

(*d.*) *Lorenzo Capelloni Hiſt.*

(*e.*) Fridericus Nicolaus, Raphael, duo Dominici, alter Nicolaus, Hieronymus.

jus dominium ut glorioſiſſimum, ac potens fuit Majoribus Tuis, atque Principibus, æquitate ac munificentiâ erga ſuos, rerum omnium ac præſertim militaris, in primis maritimæ præfecturæ peritiâ apud maximos Europæ Principes ſummo in honore habitis, (f) ita ejuſdem in Regnum ſub-alpinum adjectio finitimis invidioſa, Sabaudis fœliciſſima fuit: dum & prioribus bellis victa, ſed fida, ultimò ſola inter Sabaudo-Ligures ſe ſolâ victrix, præſenti ideò intacta, Regno portus tutiſſimi, Regiique Principibus aſyli loco, glorioſiſſima ſemper ſtetit ONELIA.

Pretioſior tamen adhuc, quàm ditionis ad Regiam poteſtatem, viſa eſt Familiæ Tuæ ad Pedemontanam Aulam acceſſio: Illius nempe Familiæ, quæ ut Heroes (quorum dici ſeminarium poteſt) Celſiſſimis totâ Europâ Principibus ſuffecerat, omnes jam, ſeque totam devovit Sabaudiæ Auguſtis. Quam ideo grandium compenſatione Feudorum, primariis Dignitatibus, muneribus, ac favoribus eximiis excepere ſemper Regi Principes, Aula gratulationibus, Regnum univerſum amore, admiratione, plauſu; utpote ad Regem columinis, ad Aulam ornamenti, ad Regnum fœlicitatis pars magna: Quod non modò in ATAVO, AVO ac PATRE TUO ſummis dignitatibus, Claſſis Pedemontanæ Præfecturis, Supremis Regii ſtabuli, atque Palatii Magiſteriis, ſupremoque Torque decoratis toto coram orbe enituit, ſed in Te Maximè, ILLUSTRISSIME ATQUE AMPLISSIME DOMINE, in quo omnigenæ eruditioni mirabiliter copulatur Rerum Militarium peritia ſingularis, ac magnanimitas, ut in ar-

(f.) De quibus Aug. Juſtinianus Ann. Gen. Ughellus, & Auguſt. ab Eccleſia coron. Real. part. 2.

mis tum Cæſareis, tum Sabaudis bello Hungarico, & Pedemontano, ibi catholicæ Fidei Voluntarius Miles, hîc Prætoriæ cohortis Subcenturio, ubique Heroicus Cæſaris, atque Victorii Magni triumphos promoveris, Tuáque ex parte feceris; cujus Natalium Granditas, alloquii Ornatus, actionis Magnificentia, atque in publicis, Aulicis, Regiisque negotiis Peritia Maximè claruit in illis tum ad Chriſtianiſſimum Regem, & Burgundiæ Ducem, tum ad Philippum in Hiſpanias ampliſſimis utriuſque nuptialis fœlicitatis Legationibus, magno triplicis Aulæ, Gallicæ, Hiſpanæ, Sabaudæ conſenſu; gratulatione, plauſu. Hinc acceſſit Nobiliſſima dignitas Gubernatoris, ac Supremi Prætoris Ducatûs Auguſtani, & Caſtrorum Præfecti. Hinc majora parat Princeps, plura parat Fortuna; Ille ut Dignitatibus parem, Hæc ut Dominiis ampliorem faciat Majoribus Tuis, ut meritis parem agnoſcit, & quóque Majorem.

Prætereo (quos præterire mea non poteſt erga Ipſos reverentia) Illuſtriſſimos ac Reverendiſſimos Abbatiarum Præſules PATRUUM *ac* FRATREM *mentis ſublimitate, animi magnitudine, morum nobilitate graviſſimos, & ornatiſſimos Viros, qui Doctrinæ præſtantiam, virtutis ſplendorem, Religionis dignitatem, Auctoritate, exemplo, ſpecie ipſâ ſuſtinent, confirmant, extollunt. Prætereo ex Fratribus Tuis Ampliſſimis illum militaris ſcientiæ, operæ, dignitatis Peritiâ, prudentiâ, ſtrenuitate Heroem, opere fortiſſimum Militem, Dignitate meritiſſimum Equitum Catapultariûm Magiſtrum, & Supremum turmarum Ductorem. Nec non* CAROLUM FRANCISCUM

Thomam, Alexandrum.

Paulum Dominicum Hyacinthum.

CUM

CUM *Hieroſolymitanum Equitem generoſiſſimum, Dertonæ Commendatarium, qui in bello Peloponeſiaco pro Religione, in Pedemontano pro Subalpino Rege fidiſſimus, prudentiſſimus, ac ſtrenuiſſimus miles ac Ductor fuit. Nec patitur juſta Te ad loquentis Epiſtolæ brevitas ut debitâ proſequar laude Primogenitum egregiæ, præclaræque indolis Filium, qui Gloriæ, & grandioribus Aulæ Dignitatibus adoleſcens, magnis jam virtutibus orditur Virum, ſcilicet Patrem.*

Ut Patrias Laudes ſentiat eſſe ſuas. *Martial. lib. 6 Epig. 38.*

Atque Secundo-genitum.

Mens Cui ſublimis ſupra genus eminet ipſum.

Grandius ingenio nec ſibi nomen ineſt. *Ovidius eleg. 3. de Ponto.*

Præclara Majorum geſta ſe ipſis æterna, imitatione perennaturi, Rerum, bonorumque Studiorum omnium Scientiâ, virtutum omnium, maximèque equeſtrium cultu.

Audax profectò, qui velit immenſum Familiæ Tuæ decus ingenti etiam Volumine complecti; ineptus, qui brevibus ſcriptis attingere: Mihi is unicè animus fuit oſtendere quot fuerint Majoribus meis, quot mihi adſint Patroni, quantus ex his Tu maximus mihi rebuſque meis Mœcenas occurras, quem majori ex ſuſceptis Beneficiis fiduciâ exorare poſſim, atque ſperare ut tenue hoc non voluntatis obſequium modò, ſed debitum, humanitate ſuſcipias, Splendore ornes, ſummæ authoritatis Clientelâ tuearis, permittens libellum illo nomine illuſtrari, quo Ampliſſimæ totâ Italia Familiæ Illuſtres ſpectantur. Inter quas ſemper emineat Tua, in qua Tu Vigeas diu.

PRÆFATIO.

RES, quam aggredior, ut non temere omnino ſuſcepta videatur, ut tota pateat; velut candidè ſcribenti par eſt, legenti non inutile penitus, ſaltem non adeò grave: præfari primùm juvabit occaſionem, quæ fuerit tentandæ, modum, quis inventæ ac inveniendæ Rei, quam hôc aditu facto intimiùs penetrabo, fuſiùs exponam, oculisque ſubjiciam.

Operis Occaſio. Inter privatam Anatomen, cui quòd adeſſem non utilitatis minus quàm honoris capiebam, forte contigerat, ut de propudioſo Gonorrhœæ morbo, ejuſque ſedê potiſſimùm incideret ſermo. Inter multiplices, quæ in medium afferebantur, ſententias, altera erat quæ Gonorrhœæ ſedem Proſtatas aſſignat, altera quæ ipſam Penis ſubſtantiam; hæcque *Sydenhamii*, (a) quam fuſiùs exponit *Muſita-*

(a) *Epiſt. ad Henr. Pamam De Luis Ven. hiſt. & cur.*

ſitanus, (b) diverſo tamen theoremate. Prima communi opinione recepta mihi magis arridebat; pro ſecunda tamen, quum *Sydenhamii* magna eſſet apud me & gravis auctoritas, propter eximiam Viri in Re Medica prudentiam, & ſcribendi candorem cum gravitate conjunctum, pro Egregii, inquam, Viri ſententia tenaciùs aliquandiu contendebam, ut eandem ſua probabilitate donarem, & ad veri ſimilitudinem aptè ſe habere demonſtrarem: eo maxime quòd facilius videretur venerea miaſmata, per occurrentes facilè poros, Penis ſubſtantiam ſubire, quàm totam Urethræ longitudinem tranare, & in imos profundè aditus agi, ut Proſtatis labem inferrent. Donec dubitare cœpi de ſententia plurimas ob rationes, tum quas ſapiens illud colloquium, tum quas meæmet meditationes obtulerant: atque ob illam præ cæteris, quòd minimè aſſequerer quibus viis a Penis ſubſtantia, ulceroſâ diatheſi, affecta ſanioſum iſtud, ut putant, in Urethram exſtillaret. Cœpi etiam deſiſtere a ſententia, quæ mihi eò videbatur obſcurior, quòd examinabatur attentiùs: Immo jam planè deſtiteram, niſi altiùs adeò inſediſſet menti *Sydenhamius*, ut minimè quieſcere animo poſſem, ni, vel repudiandæ vel confirmandæ ſententiæ,

(b) *De Lue ven. lib.* 3. *c.* 2. *de Gonorrh.*

tiæ, Encheireſim adhibuiſſem, qua in ſuſpectis Venere hominum cadaveribus, an ſanioſi quidpiam in Urethram erumperet, in minûs ſuſpectis, an puſilluli forte meatuli, ſeu poruli ſaltem ſe ſe proderent ad *Sydenhamii* conjecturam deſiderati, attentè perquirerem, & quod in Re Phyſico-Medica momentoſum eſt, certos in alterutra parte Senſus efficerem.

Eam ob rem, quum Amicorum quorumdam ſuaſu, & Studioſorum rogatu, M. D. CC. I. elapsô nuper annô Anatomicis vacarem, poſtquam Partes Genitales more Graafſiano expoſueram, ac adnotaveram in dato cadavere Spermaticam ſiniſtram Arteriam a ſiniſtra Arteria Emulgente duplici ramo derivatam, laudatis inventis Graafſianis, placuit Urethram ſeponere, & in Muſæum deferendam jubere.

Detectio. Ergo diffiſſam a parte ſuperiori longitudinaliter Urethram, & undequaque inſpectam, ſubductoque compreſſam digito gemmare ab oſtiolis plurimis liquorem ſub-viſcidum, & ex albo leviter ſub-luteolum miror. Hinc avidiſſimos intendens oculos repetita compreſſione ad ulteriorem ſucci emunctionem Urethram ſollicito, varièque pertracto; donec paſſim turgentes, paſſim emuncti ſe ſe apertiſſimè faſſi ſunt canaliculi, clariſſi-

riſſimèque conſtitit, non morboſum id aut fortuitum quidquam, ſed maximè conſtans eſſe Naturæ artificium, ut aliæ confirmarunt Urethræ, quarum ſatis ingentem nobis copiam faciebat *Scantius*, Primarius nunc Legionis Pedemontanæ Chirurgus, cui primò iſta communicabam: Atque in expoſitas frequenter Urethras repetito contuitu, ſemper indaginis tœdium fonticulorum copiâ, quaſi fœnoris quadam exactione penſabam. Hinc toto oculo ſequaci Urethram obſervans, ſupra Urethræ medium guttas duas reliquis ſupranotatis majores, duobus hæſitantes foraminulis curiosè notabam. Tum detecti oſtiis indicantibus Fluentuli, iiſque adacta tenuiori ſetula permeatîs, totidem Fontes, ſeu Glandulæ duæ; prætereaque præſides veluti iſtorum fontium Najades Pſeudo-Sphincteris muſculi fibræ, quarum imperio lubituque fluxurus juxta diverſas neceſſitates, diverſa quantitate, variôque modô liquor miniſtraretur. Et demum iſta verſantibus nova occurrebant Proſtatarum oſtiola, unà cum reculis aliquot obſervatu facilimis, ultroque obviis.

Hæc ſanè ut exigua, ut levidenſia proſequi, & Publico exponere nimis vanum ineptumque dubitaſſem, niſi Philo-

loſopho Medico nimis indignum videretur, Deo auctore inditam homini minimam licèt particulam, ut inane quidpiam & nullius momenti deſpicere, aut ſaltem negligenter ſpectare, quam potiùs ut ſuo plenam artificio ac utilitate machinulam, ut ſuis quoque morbis obnoxiam, omni excolere ſtudio Mirabilis machinæ obſervatorem, & reſtauratorem Medicum decet. Hôc ſi oculo iſta conſpicias nihil in iis abjectum, & vile, nihil obſcœnum videbitur, quo vel candidior lædi poſſit modeſtia, aut nequiſſima utcumque proritari impudentia.

Vides Humaniſſime Lector, quid occaſionis huic invento fuerit, quid cauſæ, cur ejuſdem, ſi non pretium, ſaltem rationem aliquam a me habendam putaverim; illoque Publicum fraudare minùs æquum judicaverim, hoc potiſſimùm ſæculo, ut ſapientiſſimo, ſic Rerum Anatomicarum ſtudioſiſſimo. Leviſſimis & tenuibus etiam rebus pondus & pretium aliquod novitas ipſa, immo dignum humanæ mentis, humaniſque rebus aptiſſimum curioſitatis ingenium conciliat; In rebus potiſſimùm Anatomicis, quarum nulla eſt tam nauci tam nihili, quæ (cum præſidem humanæ ſalu-
tis

tis ſcientiam ſemper illuſtret amplificetque) non ſit cum aliquo hominum fructu, ac utilitate conjuncta.

Certè non inutile penitus hoc tenue quantumvis inventum fore confido aliquot iſtarum partium morbis, Gonorrhæis puta, earumque ſimptomatibus meliùs exponendis, forte etiam tutiùs curandis; quod mihi per litteras candore, ac eruditione refertas (quibus me & honore, & voluptate cumulavit) plenis authoritate verbis confirmat Vir celebri nomine meritò ſpectatiſſimus *Georgius Baglivius*: *Glandulæ Conglomeratæ, & Disgregatæ à Te detectæ circa Urethram virilem, viam ſatis amplam aperiunt, abſtruſas inveſtigandi cauſas quamplurium Veſicæ, ac Penis Catharrorum, qui uſque adhuc in recondito latent.* Quem-ad modum & ille qui in Magna-Græcia Academiæ Incurioſorum, Pythagoricis quondam ſcholis æmulæ, nomen primus, dignitatem præcipuus, immortalitatem præ cæteris unus dedit, *Hyacinthus Gimma* Dignus certè viciſſim totidem laude ſapientum, quot Ipſe Reipublicæ litterariæ Proceres, Academiæ Socios, inter quos eminet, magnifica laudatione proſequitur, in nobili opere, (a) ubi

(a) *Elogi Academic.*

Il

Il nome altrui ad immortal memoria
Con ſua penna ſublime erge alle ſtelle:
atque diſertiſſimo me Elogio magnificentiùs excipiens.

Imit. *De Lemene.*

Così gentil fa al glorioſo ſtile
Soggetto vile, onde virtù ſi ſcopra;
Le mie rozze ſembianze, e il nome umile
Perchè quallora alti prodigi adopra,
Elegge al ſuo lavor materia vile
Fabro, che vuol che ſol s'ammiri l'opra.

Cujus maximum ſapientiæ, & quæ ſummæ ſapientiæ eſt, animi, erga ſapientiæ cupidos, facilitatis beneficium, quòd ſtudia mea, ſumma laude, videlicet ſuâ, & liberali munere glorioſiùs, & ſuavi ſtimulô potentiùs promovere peramanter voluit, gratus agnoſco. Vir inquam Amiciſſimus & Eruditiſſimus ſic: *aprendo largo campo à Filoſofi di poter non ſolo rinvenire molte coſe forſe ſin' ora ignote intorno all' emiſſione del ſeme, e dell' urina, che per l'uretra ſi fanno: ma anche ſu le cagioni de' mali, che alla giornata ſogliono in eſſa avvenire.* Gemmeum quoque calculum ſuum conferentibus Viris Sapientiâ, Dignitate, Nomine Ampliſſimis, Luca *Tozzi* Innocentii XII. Pont. Max. olim Archiatro, *Luca An-*

Antonio Portio Medico Cæſareo, *Agnello De Neapoli*, Illuſtriſſimæ Academiæ Sociis non dicam ſpectatiſſimis, ſed Patribus optimè meritis. Id etiam per litteras, quibus mihi gratificari placuit, humaniſſimas confirmarunt, Medicis ſcientiis & politioribus litteris ornatiſſimus *Nicolaus Lanzani*; & propter ſingularem animi candorem ac eruditionem amiciſſimus P. *Matthæus a Cadralio* Ordinis Capucinorum, Medicus Taurinenſis, Academici laudatiſſimi; nec non Phlebotomiæ Vindex Feliciſſimus, & de Re Medica optimè meritus *Matthæus Georgi*, in ſcientiis non minùs, quàm in Albinganenſi Civitate Patricius; & demum Vir eximiis laboribus promeritâ nominis famâ nulli Clariſſimorum hujus Ævi Medicorum ſecundus *Jac. Mangetus* velut Coronide exornavit.

Tanto Sapientum favori ut, imparibus licèt, datis tamen, additiſque ipſorum auctoritate viribus quoquo modo reſpondeam, præſentium Glandularum ſtatum præter-naturalem indagare ſaltem adnitar ſtatim ac, quam inſtituo tractatiunculam ſtatûs earundem merè naturalis obſervatione contentam explevero.

Quòd ſi meam hanc tractationem ut multipliciter vitioſam inſimulas; facis quidem

dem pro ratione, cui me candidè aſſentientem habes, non tamen pro humanitate Tua, qua Te ignoſcentem velim, *Lector Benevole*, quæ præcipua mihi alioquin fuit timidum hunc libellum in publicum producendi ſpes & fiducia; quem ut Tibi minùs moleſtum facerem, minorem feci: *ſuccinti quæ ſint bona libelli* ipſo edoctus *Martiali*. Nec magnum aliquid ut a me expectes; mea tenuitas; juvenilis ætas, & perverſa rerum mearum conditio permittunt. Ultimò, ſi mihi Zoilum liceret ſuſpicari, monerem:

Aptatur *Martialis Epig.* 1. *ad lib.* 2.

Ne perdas operam: qui ſe mirantur; in illos
Virus habe: nos hæc novimus eſſe nihil.

Martial. in Xen. Epig. 2.

LAU-

LAURENTII TERRANEI,

Ph: & Med: Doct: Colleg: Taur:

CAPUT I.

De Glandulis Disgregatis in Genere.

QUemadmodum aeri terræque, leni humectatione ac refrigeriô temperandis ac refocillandis, in ſuavem rores aſperginem, ac tenuem in guttulas minutiſſimas pluviam diſtillavit Natura, fertiliorem jucundioremque longè, quàm ubi gravius æther ingentibûs nimbîs vaſta colluvione terras inundat. Velut peritus hortorum cultor viridarium aptè rigaturus, non in unum largumque ſinum agglomeratas in hortum aquas derivat; ne unus, vel officiat totî exundans, vel parti defficiat exiguus; ſed in plures diſcretam canales undam deducit, & multifidas riguo meatu venas diſtribuit, & quot areolas, teſſellas, ac pulvinos, quot demum ſtrias, ac liras, tot aquæ ductuum propagines ac diverticula prope infinita inſtruit, areolis rivulos,

Glandularum diſgregatarum.

A ſimili.

ſulcoſque liris inter ponendo. Atqui ſtudioſior culturæ ſuæ, ubi vel ſoli, vel cœli vitiô, fluentulum aut imbres denegentur, utriuſque deffectum curioſiùs ſupplet hydriis multiplici foramine imbriferis.

Unde pluit tenuis rivis rorantibus humor.

P. Alex. Don. lib. 2. cap. 5. Qualem, inquam, ſe ſe in Univerſo, plauſibili magis apparatu, qualem in hortis cultor, laudabili induſtria, talem, nec minori utilitate vel ſapientiâ ſe ſe geſſit Natura in rebus animalibus, ubi mirabilis opificii plena ſunt omnia. Nimirum ubi cavitates aut canales, aut quæ cavitate vel canali continentur, aut fluunt, humectandi ad mollitiem, & cum mollitie, contenta ad diſſolutionem, & fluxum, continentia ad flexibilitatem, lubricandi ad facilitatem diffluxus, obliniendi ad temperiem, ac munimentum acrimoniæ, ac impetûs, incumbit neceſſitas, vel ſuadet iſtorum, & qui ab hiſce pendent, uſuum oportunitas, utilitaſque, nihil frequentius molita eſt Natura, quàm quo nihil ſapientius poterat excogitari.

Uſus

Deſcriptio. Nempe ad cavos parietes fonticulos excitat plures, ſcrobiculos exculpit, rivulos molitur, plurimos adeò, ut locus bellè irriguus ubertate fontium occurrat; ad

ad brevia invicem intervalla ita digeſtos, ac ſi ad exiguas quaſque areolas ſui aptarentur trepidanti venâ ſiphunculi; tenuiter adeò ſuaviterque lymphulas evolventes ſuas, ut humentia velut quandoque cryptarum tophina mollibus guttulis, flere cavitatum animalium parietes facilè putes; molliter adeò minutas rorant guttulas, & in cavitatem, velut in cratera reciproci miſcent blandè cadentes liquores ſuos. Hîs mediîs ſapientiſſima rerum Natura ex ipſa glandularum & canaliculorum multiplicitate præclarè ſibi compendium efficit, operationibus ſuis facilitatem, promptitudinem, & perfectionem.

Cogita enim humectandam & obliniendam eſſe ſuperficiem aliquantæ latitudinis per quod-velis liquidum. Certum eſt toti illi quaquaverſum latitudini induci debere ſaltem humidam ſuperficiem velut humoris laminulam. Jam id præſtare tentato per liquidum, non multiplici ſcaturigine minutim, ſed ex unico fonte uberiùs promanans: Putas ne eâdem facilitate ac celeritate perducendum per latitudinem humectandæ ſuperficiei liquidum uno fonte unoque ex loco erumpens, ac in plures guttulas ex multiplici ſcaturigine depluens? ne- Ratio. Ex abſurditate oppoſiti.

quaquam, ſi ſapis; ſed uno profluens rivo, vel totum implere cavum debere, ſi concavam, vel ſaltem abundantiùs profluere, ſi convexam planamve ſuperficiem allambere debeat; utrinque fruſtraneum, aut ſuper-abundans multiſque modis incommodum in cavitatibus, quæ liquoris copiam, vel exteriùs apertæ concipere non poſſunt, nec debent, vel nimiùm ſenſiles non patiuntur, vel locum liquidis aliis aut ſolidis permiſſuræ, nequeant admittere, aut ſine laxitatis aut nimiæ adjacentium compreſſionis periculo diutiùs detinere.

Aliter uno deductum ſtillicidio; vel perpendiculariter in cavum excidens, vel modicô oblique vagèque proſerpens rivulô, exiguum ſanè ſpatii alluendi pertingeret, pluraque ſaltem relinqueret velut in mari brevia, arentia penitus & exſucca, tantum-abeſt ut per univerſam perducatur ſuperficiem, eamque exactiùs inveſtiat, quod erat genuino operantis naturæ modo maximè conſentaneum.

Quin etiam ſi abundantius foret glandulare liquidum nec id præſtaret uſuum quibus deſtinatur, in Cavis, quæ liquorem aliquem ſtimulandi aptum continentia mucoſô interiùs oblinimentô muniri

niri debuerant : namque glandulæ rivulus liquori cavitate contento perfuſus, eumdem quodam-modo quidem mulceret, ſed cavum parietem non obduceret: quare nec ſatis tutum probèque munitum erit a ſtimulo continens cavum, nec illæſum, & a permixtione ſincerum, contentum liquidum, ut fieri maximè oportuiſſet.

At plures etiam fontes eoſque diſperſos, ſed tractibûs longioribûs diſſitos comminiſcere: ſpatii reſiſtentiâ fiet, non modò ut diſtantes difficiliùs, ſed inæquali reſiſtentiâ, etiam ut inæqualiter & imperfectiùs omnes ſuperficiei partes obliniantur: ſiquidem vagè fluens liquidum ad has partes excidiſſet, ad has hæreret, ab illis ſubſtitiſſet, prout reſiſtentiæ, hæque inæqualiter occurrentes permitterent, aut cohiberent: Unde non univerſa ſuperficies, ſed aliquæ ſolùm ipſius partes humectarentur: Igitur multò difficiliùs ac inæqualiùs ageretur hujuſmodi liquidum per ſpatia longis tractibus emetienda, ſeu majori labore veniret in humectationem & oblinimentum datæ ſuperficiei.

Quare facilitatis ſemper & perfectionis numen Natura, & exactæ, & expeditæ cavitatum humectationis ac deli-

nitionis ſtudioſa, liquidum mulcens perductura per univerſam ſuperficiem canalis aut cavitatis, hôc utetur artificio: quod eſt, totum ſpatium humectandi corporis dividere in ſpatia plura & minora, & Glandulas in maſſulas plures & minores, ut quocumque velis loco obvius & paratus humor occurrat, & per exiguum utraſque glandulas inter-jacens ſpatium facilè agat ſe ſe; atque hunc in modum habeatur expedita, & perfecta humectatio, & oblinimentum illius dati corporis & ſuperficiei: quum per hanc diſgregationem, ſeu disjunctionem fiat, ut liquidum intra breve temporis ſpatium agi poſſit ſupra omnes humectandi corporis partes minimas, quod intra ſpatium temporis multò, ac multò longius ſuccedere non potuiſſet, non diviſo corpore in plura ſpatia, & glandulîs in plures maſſulas. Sed & eſt perfectior humectandi obliniendique modus, redactâ humectandâ ſuperficie velut in areolas, & inter brevia ſpatia meatu frequenti conſtituto, perductôque affatim liquidô: Ita enim fit, ut diviſa illa ſuperficie in plura ſpatiola, & ad unumquodque ſpatiolum conſtituto latice, fit, inquam, ut nulla pars datæ ſuperficiei effugere liquidum poſſit, & non humectari.

Neceſſitas.

Quo-ad Cava

Quod

Quòd ſi in illo canali, aut cavitate contentum emolliri, diſſolvi, aut quoquo modo debeat modificari, fiet quidem ut per glandulas hujuſmodi requiſitum liquidum in cavitatem depluat, ac deponatur eo modo, quo per unum ductum fieri potuiſſet; ſed inſuper erit peculiaris & aptior circa contenta liquidi agendi modus: perſimilis admodum operationi, quæ Chymicis ſtratificatio nuncupatur. Nimirum velut illi ut corpus aliquod difficiliùs ſolubile faciliùs ſolvant, ſolvendum corpus in laminas plures, & quò poſſunt tenuiores ſecant, quas ita alias aliis ſuper-ſtruunt, ut duo quotque ſolvendi corporis plana alterum fermenti planum inter-mediet, ſicque ex ſolventis ſolvendique corporis ſtratis, alterna ſerie diſpoſitis, aptiſſima operationi chymicæ ſtrues contignetur; ut fermentum ſolvendo corpori copioſiùs permixtum, minimas lamellarum altitudines utrinque, & facilè ſubeat, diſſolvat, inmutetque. Ita in animalibus glandulæ per longitudinem canalis digeruntur, ac veluti ſtratificantur: nempe inter duas quasque moles contenti corporis conſtituitur glandula, & ſingulæ moli contenti corporis ſuus accomodatur ſiphunculus, ut, non totî maſſæ Quo-ad Contenta.

confuſe, & rudi quodam modo, ſed partibus ſingillatim exactiùs inmiſceri, & ſuas agere operationes glandulare liquidum poſſet.

Ex copia. Quoniam rurſus partes quam-plurimæ liquidi copiam ſatis ingentem ſibi, & operationibus ſuis exigunt, quæ ſi ab unica peti glandula debuiſſet, grandior illa, & quibus hæreret, aut adjaceret partibus, gravis & moleſta nimiùm foret: velut ſi glandulæ Ventriculum aut inteſtina irrigantes in unum congeſtæ, glandulam conſtituiſſent Ventriculo, aut partibus vicinis affixam, grandior profectò quæ exurgeret moles, eidem partibusque vicinis negotium faceſſeret; quod in amplitudinem cavitatis, & canalis longitudinem diſtributis, planè eſt nullum.

Et facilitate liquidi emungendi. Cum etiam cavitates aſſiduo madere liquore ſit neceſſarium, ita comparatæ ad cavitatem eſſe glandulæ debuere, ut quolibet momento adeſſet præſto, & facilis flueret liquor; ubi potiſſimum nerveæ incurrens membranæ ſtimulus, ſui obtundendi, membranæque leniendæ neceſſitatem fecerit; per Conglomeratas autem, utpote magis a tunica ſtimulata diſtantes, non ſtatim adeò præſto eſſe liquidum poteſt, ut a Diſgregatis, quæ vel in ipſa-met nervea tunica ſunt inſculptæ,

ptæ, aut ſaltem eidem immediatè ſubjectæ, ut datâ vel minimâ nerveæ tunicæ vibratione, tenſione, aut corrugatione, ipſæ agitentur comprimanturve glandulæ, vel ſaltem exigui concutiantur excretorii canaliculi, unde facilè deciduus proritetur humor ac ſollicitetur, leviter provocatus e fiſtulis manet, nec guttîs impluat modò,. ſed repentinîs quandoque torrentibûs influeſcat.

Rurſum quum pleraque, ſin omnia minùs, Cava adjacentes habeant Potentias ſeu advolutos villos contractiles, ut motus illa ſuos exerceant; compendiaria ſemper Natura voluit eâdem contractilitate (quæ alioquin erat neceſſaria) uti ad compreſſionem Glandularum. Dum Ventriculi, ex gr., ex *Malpighio* (a), & inteſtinorum, ex *Bohnio* (b), nervea interiorque tunica a Carnea in rugas inſignes contracta aſſiduè detinetur, aſſidua compreſſione a ſubjectis unà Glandulis liquor promulgetur, creſcenteque identidem contractionis unà & liquoris neceſſitate, uno eodemque momento, utrique fit ſatis. Exprimendi.

Atque Hujuſce generis glandulis quam mini-

(a) *De Struct. Gland. ad Soc. Reg. Angl. Epiſt.*
(b) *Circ. Anat.-phyſ. Progymn.* XXIX.

minima ſufficit potentia? utpote quarum planum totum plano fibroſo, ſingulæ ſingulis fibris adjacent, aut ambiuntur, amplexanturve, quæ ex molli, cedente, facilimèque compreſſili loculo conſtant, quibus quàm parva per breviſſimam Excretorii longitudinem reſiſtentia? quum Glomeratæ & extra cavitatem ſitæ proprias, & ſibi invicem profundiús inmixtæ, & Excretorio longiori præditæ, majores ſibi potentias adſciviſſent. Nec addo quid compendii ſit ex eo, quod Diſgregatæ peculiaria ſibi vaſa ſanguinea & ſpirituoſa non exigant, ſed ea ſibi accomodent quæ ſunt nactæ partium adjacentium occaſione.

Ex ſimplicitate. Etenim verò nulla frequentior eſſe Glandularum ſtructura, & diſpoſitio poteſt, quàm quæ non modò, quo-ad operandum uſibus aptior ſuis, non modò in exterioribus adjumentis, ſed in ſuo-met machinamento ſimplicior. At quæ ſimplicior eſſe glandularum ſtructura vel diſpoſitio, quàm Diſgregatarum poteſt? quibus ſtructuram ſimpliciſſimam decrevit, Omnium decretô ſummus Naturæ Dictator *Malpighius* (a), atque illud facilè evincit, quod aliæ ſecre-

(a) *De Structura Glandul. &c.*

cretrices glandulæ in iſtas reſolvantur, ita-ut quod in Conglomeratis non niſi longo labore attingimus intimam diſſolventes texturam, ut folliculos glanduloſos, quibûs Conglomerata compingitur, retegamus, in his ſtatim occurrat, facilis res, nullius arduæ obſcuræque compoſitionis, ut nullum majus ſtructuræ compendium poſſit inveniri.

Diſgregatarum enumeratione Epilogus.

Patet itaque Glandularum Diſgregatarum neceſſitas, ac utilitatum ſumma, ut pateat ratio cur Natura has ſtructuras in animalibus frequentiùs adhibuerit; frequentiùs inquam in Cute univerſâ Miliares *Stenonis*, in Naribus, ut pridem attigerat *Schneiderus* (a), & nuper diligentiſſimè deſcripſit Clariſſimus *Vieuſſens* (b); in Aurium Aquæ-ductu & Meatu auditorio, quas elegantiſſimè delineavit Præclariſſimus *Du Verney* (c); in Palato, Faucibus, baſi Linguæ, Epiglottide a Nic. *Stenone* (d); ad Trachæam (e), & OEſophagum (f) à *Williſio*, ad Ventri-

(a) *De oſſe Cribrif. & ſenſu ac org. odor.*
(b) *De cereb. Cap.* xvj.
(c) *De Aud. org.*
(d) *Obſervat. Anat. de Gland. oris &c.*
(e) *De reſpir. org. & uſu Diſſert.*
(f) *Prim. viar. deſcrip.*

triculum a *Wepfero* (a), ad Inteſtina a *Peyero* (b), detectas; ad Uterum, Pericardium, Pleuram, Peritonæum ex obſervatione *Malpighii* (c); ad interiorem tunicam Veſicæ biliariæ ex *Malpighio* (d), & Urinariæ ex Dan. *Tauvry* (e), nec non & Uretheris; in Arteriarum, Venarumque ex *Williſio* (f), fortè etiam Lymphæ-ductuum tunicis ex obſervationibus oculatiſſimi *Nuck* (g), milleniſque aliis in partibus animalium, ut paſſim obſervant Anatomici.

Frequentiſſimo huic Glandularum populo propriam aſſignari Coloniam debere cenſerem, eamque ampliſſimam ab iis non uno ſecluſam diſcrimine, quibus tota glandularum univerſitas latioribus velut provinciis, alterâ in Conglobatas, alterâ in Conglomeratas diſpeſcitur extentis magis finibus ambituque, a *Sylvio* primùm, indè communi Anatomicorum con-

(a) *Miſcellan. curioſ. Germ. obſerv.* 251. *An.* 2. & *Cicut. aquat. Hiſt.*
(b) *Exerc. de Gland. Inteſtin.*
(c) *Diſſert. De utero & Vivip. ov. &*
(d) *De Struct. Gland. conglob. Ad Soc. Reg. Angl. Epiſt.*
(e) *Des uſage. de la ſtruct. de l'homme Chap.* x.
(f) *De reſpir. org.*
(g) *Adenograph. curioſ.*

conſenſu cenſita. Eòque humaniùs id mihi permiſſum iri confido, quod hanc quam inſtituo ſpecialem glandularum diviſionem, eo fine acceptam & cohoneſtatam velim, ut confuſa alioquin moles glandularum univerſa in partes tribuatur, quarum unaquâque decenter contractâ, rite ſecretâ, prudenter digeſtâ, ſingulis ſuo donatis loco, ſuo diſpoſitis ordine, Glandulare agmen eâ, qua nulla aptior ad claritatem conciliandam methodus, diviſione videlicet ac diſtributione illuſtretur. Neque enim exaratæ modò glandulæ a Conglobatis & Conglomeratis minùs, quàm illæ inter ſe invicem diſconveniunt, ut quemadmodum vulgò duplici, ſic etiam triplici in glandulis diverſarum proprietatum conventu, interventuque ſciſſa glandularum ſocietas, tribûs æquè ac duabûs donari provinciis commodè poſſit.

Diſgregatarum a cæteris ſecluſa Provinciâ.

Ecquis enim eſt qui glandulas iſtas velit e genere Conglobatarum ut Phil. *Verbeyen* Subcutaneas? quum tanta ſit iſtis in exteriori forma, interiori ſtructura, liquore, canali, officioque diſcrepantia. Aut quis inter Conglomeratas recenſeat? quarum-met nomen plurium glandularum in unam, plurium Excretoriorum in unum coeuntium collectionem

Corp. Hum. Anat. Tr. 1. c. VII.

nem importat, ut iſtis quæ ſingulares omninò ſunt, aptari minimè poſſit. Quamobrem cui magis quàm *Malpighio* aſſentiar eſt nemo, Qui licèt eâ quâ erat puriori, ſinceráque intelligentiæ venâ Naturæ ſimplicitatem, cui erat apprimè factus, preſſo ſequutus gradu, inter glandulas omnes analogiam inſtituerit, tres tamen glandularum ſpecies agnoſcit, & præter Conglobatas, ac Conglomeratas, tertias facit Miliares, quibus *Palatum*, *OEſophagus*, *Inteſtina*, & *conſimiles partes copioſè ditantur.*

De Gland. Struct. ad Soc. Reg. Angl.

Et Oper poſth.

Hæ Diſgregatæ ſeu Miliares glandulæ, aut earum ſaltem pleræque ex illarum ſunt genere, quæ Veſiculares communiter appellantur ab Anatomicis. *Ex Wepfero* quippe & *Peyero* conſtat ventriculi & inteſtinorum glandulas, ex *Malpighio* Miliares omnes glanduloſo folliculo ſeu cameratâ in veſiculam peculiari membrana, aptâ cribrationi peculiaris fluidi ſimpliciſſimè integrari.

Diſgregatarum plerarumque ſtructura.

Hinc *Alexander Paſcoli* qui Hetruſco ſermone

Th. Cova Jeſ. Puer Poem. l. VI.

Qui Latii jam ſæcula priſci,
Et Grajas veneres fandi dulcedine vincit.

miris eloquii modîs, quibûs ſcientiæ dulceſcunt, lepôrem Charitesque omnes

Rei

Rei Anatomicæ invexit, ſuavi perfundens venâ.

Nectaris ætherii, longè ſuper Attica mella.

Ut quæ Italiam, apud quam poſt barbara ſæcula ita primùm eſt inſtaurata, ut in eâdem primùm nata videatur, in patriam agnoſcit, patrio ſermone Italam ſe ſe (ut cæteræ ſcientiæ) oſtentaret Anatomes. *Alexander* inquam *Paſcoli* *Il Corp.* (qui non ingratam hujuſce digreſſionis *Um l.* 1. occaſionem fecit) ad rem noſtram aptiſ- *part I.* ſimè. *Ma degno di rimarco ſi è in co-* *Cap.* XIII. *teſte ultime* (ideſt *veſcicolari*) *che il ſangue, e gli ſpiriti animali, di mano in mano, che bagnano le pareti delle veſcicole componenti, vi depongono un certo licore particolare; il quale gemendo nelle loro minutiſſime cavità, ivi inſenſibilmente ſi accoglie, per poſcia trapelare in alcuni canaletti inſenſibili.*

Namque peculiaris ſtructuræ membrana illa, qua Miliares excitantur in plerisque, ſin omnibus, Animalium partibus in planum extenſa non fuit, ita ut Structuræ ratio. Inteſtinorum ex. gr. aut Urethræ interior paries vel totus, vel debitîs intervallîs, ipſa eſſet glandulæ ſubſtantia, ipſaque eorum cavitas, communis excretorii canalis loco eſſet, ut intendero

re videntur quoad Inteſtina *Gliſſonius*; quoad Urethram *Diemerbroeckius*; utque fieri facilè potuiſſet; & fortè etiam in partibus aliquibus factum; puta in Pleura, Peritonæo & conſimilibus. Neque id quidem incongruum, ſi foret: ubi tenuiſſimus, exiguusque liquor, ſeu velut mador perspirationis inſtar continuò ſufficitur, atque ubi membranam illam nihil incurſat, aut ſuper-excurrit naturaliter, quo deteri, obſtrui, vel quo-modo-libet lædi glandularis textura faciliùs poſſit; quod tamen quum in locis animalium plerisque graviùs timendum foret, nec-non aliqua continuò, majorque identidem liquidi copia exigeretur, nec ſuperficialiter tantùm excavatæ, nec granuli in modum ſolidæ atque compactæ, vel nullo vel exiguo præditæ conceptaculo apponi glandulæ debuere, ex quibus (nihil vel ſanè parum liquidi concipientibus) ſtatim a ſecretorio in locum depoſitionis ſuæ, in Urethram puta, vel Inteſtina, continuò vel nimis exiguum vel extemporaneum deplueret liquidum; ſed in marſupiolum velut efformatæ, quæ plusculum liquidi concipiant, ac velut in gurguſtiolo ſervent tantisper, debitis temporibûs, aptâque ad exigentias quantitate

titate erogandum. Quin etiam per factas in cavernula morulas inſpiſſari aliquantulùm cogique liquor poterit; & gluten aſſumere, quo partibus lubricandis hæreat magis, easque meliùs obducat, quod in glandulis veſiculoſis paſſim obſervamus.

Diſgregatarum univerſim varietas.

Eſt ut haſce Glandulas alibi majores, alibi minores, alibi magis ſtrigoſas, alibi corpulentiores obſerves; quæ patent ex ſuperioribus; alibi etiam magis, alibi minùs diſſitas, alias in racemum collectas, aut confertiùs ſaltem ſtipatas, ubi nimirum ad ſingulas canalis aut cavitatis ſectiones minùs, magis ad aliquem tractum eſt liquidi & quidem majoris neceſſitas; ut in tenuibus Inteſtinis, orificio Veſicæ urinariæ & conſimilibus.

Reticularis vaſorú ſtructura ad Glandulas.

Quemadmodum ad Glandulas Conglomeratas, ita etiam ad Diſgregatas; non plura modò, ac multiplicia vaſa, quantum vitalitati, nutritioni, ac ſecretioni eſt neceſſarium, diſtribuuntur; ſed eô inſuper artificiô propagantur, ut ſtatim-ac extimam tum Diſgregatarum, tum arctè Conglomeratarum ſuperficiem attingunt, in multiplices primùm ramulos dividantur, indeque admirabili quodam modo implicita, & ſibi millies oc-

currentia, velut reticulatum opus conſtitutant, innumeras maculas & mille continens retia, quò debitîs ad munii exigentiam circulationis motibûs fluat, æquîs partitum portionibûs in ſingulas glandulas diſtributur ſanguineum liquidum, nec-non *conſervetur & promoveatur ſolutio generalis liquidorum, & ſeparatio liquidi a liquido in Glandulis abſque Fermento*, maximè verò ut liquoris ſecretionem, & derivationem tum intrinſecâ, tum extrinſecâ compreſſione ſollicitent.

Laur. Bellini. Opuſc. de Ferment. & Gland. Prop. XXXVI.

Qua ratione præſertim ad Diſgregatas.

In Conglomeratis reticulares texturæ glanduloſum viſcus altè ſubeunt excurruntque, rimulas omnes penetrando, intimèque ſubdiviſiones Viſceris omnes amplexando: Quum ad Diſgregatas reticulariter quidem implicentur, ſed in planum extenſæ & membranulis colligatæ veluti propriam ſibi tunicam adſciſcant, vaſculoſamque provinciam, ita dixerim, efforment. Idem inquam eſt artificium in Diſgregatarum, ac in Conglomeratarum textibus vaſculoſis, licet diſpoſitio planè diverſa, quâ glandularum ſuarum diſpoſitioni concinnatur: ut ubi ſibi invicem ſuper aggeſtæ agglomerantur Glandulæ, multiplices quoque ſuper-impoſiti invicem agglomerentur reticuli;

culi ; ubi diſcontinuatæ in eodem plano locantur Glandulæ , in planum ipſi quoque extendantur vaſculares reticuli ; Quorum uſus & emolumenta quoad Glandulas tum Diſgregatas , tum Conglomeratas , in utroque utriusque generis Urethræ Glandularum Capite inferiùs velut præſente exemplo, longè aptiorî locô , meliùsque ad captum exponere ſaltem incipiam.

Neque hic adducam neceſſitatem Muſculi ſupra Glandulam vigentis, quod præſtabo inferius, vel compendium planè Muſculoſi plano Glanduloſo in Canalibus & Cavitatibus ſuper-extenſi, quod præſtitum ſupra.

Cap. IV.

Pag. 10.

CAPUT II.

De Glandulis Diſgregatis Urethræ.

Disgregatarum ad Urethram neceſſitas.

QUæ in partibus ſupra, curſimque recenſitis, ad Urethram quoque incubuit humectationis, lubricationis, & munimenti neceſſitas. Nimirum Urethræ interior tunica, utpote admodum tenuis, quum vasculîs ſanguineîs non modó ſuîs irrigetur multîs, ſed èt plurimîs tunicam Urethræ mediam contexentibûs ambiatur, ex quibus calore aſſiduè, atque in tentigine potiſſimùm affatim perſpirante, ſiccitate rigere, ſcabreſcere, corrugari, anguſtarique facilimè ad plura incommoda poſſet: Quorum alterum facilè eventurum puta, quòd quemadmodum vola manus exſiccata moleſtè extenditur, atque plicatur, & contrectationes moleſté exercet, sic Urethræ interior tunica exſiccata moleſte elongaretur atque contraheretur rigentibûs villis, & præterfluum excernendorum incursum duriter exciperet; quare ùt vola manus non modo facile movetur, ſed èt voluptuosè agitatur, liquore a Glandulis miliaribus erumpente emollita, ſic mollis liquore ſuo Urethra mo-

Ad contractilitatem, & diſtractilitatem canalis.

motibus exteriùs adjacentium facilè obtemperat, intrò-fluentium non modò ſine moleſtia, ſed etiam cum oblectamento agitari eſt apta.

Quoniam rurſum quæ fluere per Urethram debent duplicis potiſſimum generis liquida, urinoſum, atque ſemineum, eorumque præcipuè alterum, ut celeriùs fluant neceſſe eſt: hinc non fluore ſolùm aliquo humectata ab aſperitate caveri Urethra, ſed etiam ad minuendas occurſuum reſiſtentias unguinoſo humore debuit lævigari, ad excernendorum facilitatem, ſeminisque potiſſimùm, quod per lubricum Urethræ miſſile velociùs exiliat, fæcundationis, & voluptuoſæ affectionis neceſſitas exigebat. Ad facilitatem excernendorum.

Denique quoniam liquida per Urethram fluentia ſtimulo quoque ſuo ac impetu ſunt prædita, præcipuè quæ frequentiùs canalem iſtum excurrit, urina; acriùs vexari, uri, excoriarique Urethra poſſet: niſi viſcidô tanquam vernice illita fuiſſet ac loricata. Ad munimentum ab acrimonia.

Uliginoſum, iſtud quo Urethra humectatur, inungitur, atque munitur, omnes agnoverunt Anatomici; Ejusque duplicem ex aſſignatis neceſſitatem agnovit *Galenus*: *Nam ſi totum ſpatium, Fauces, & Gulam, ſi item univerſa* *l. 2. de ſem. Cap. 6.*

 In-

Inteſtina Glandulæ irrigant, quid mirum eſſe debet, quòd collo etiam Veſicæ tale quoddam ſubſidium præparatum fuerit, ne exſiccatum ad motiones torpidum redderetur? Peni verò marium multò etiam magis fuiſſe a Natura hoc adjunctum remedium credendum eſt. Hic enim in maribus magnitudine etiam conſpicuæ Glandulæ ſunt: quippe quum periculum eſſet, ne, quum prælongus his ac nudus Penis extet, exſiccatus vel diſtorqueretur, vel meatu occluſo conniveret. Et infra: *Quamquam poteſt fortaſſe Natura, ut urinæ morſioni occurreret, talem humorem ad Colis meatum lævigandum præparaſſe.* Ac vaticinanti ſimilis: *Fortaſſe etiam, ſi quis diligentius ſpecularetur, tertiam aliquam cauſam inveniret.* Immo plures ob hujuſce humoris oleoſi deffectum difficultatibus in utraque per Urethram excretione vexatos obſervat Jo: *Riolanus* (a).

Quo autem fonte prodeat hoc liquidum nondum certò conſtat. Ab Aſtitibus glandoſis petebat citatô locô *Galenus*, & cum *Galeno* Th. *Bartholinus* (b), Petr; *Dionis* (c). Eandem certè ſententiam,

(a) *Enchyr Anat. pathol lib* 2. *c.* 36.
(b) *Anat. lib.* 1. *c.* 23.
(c) *Anat. demonſtr.* IV.

tiam, ſed aliquatenus, diverſôque modô discrepantem partim ſequuti, partem commenti ſunt Andr. *Laurentius* (a), *Jo: Riolanus* (b), Anton. *Everardus*, Th. *Warthonus* (c). A Veſiculis ſeminariis Nath. *Highmorus*, ut refert *Diemerbroeckius*, qui in eadem ſententia malè *Galenum* citat, meliùs de *Riolano* dubitaſſet.

At verò Isbr. *De Diemerbroeck* (d) ab ipſa-met Urethræ ſubſtantia derivat his verbis: *Et lubricitatem Urethræ non ab aliquo oleaginoſo humore e dictis veſiculis effluente, ſed aliunde oriri, ſcilicet ex nutrimenti Urethræ aliqua parte mucida, qua interior illa via oblinitur, ſicut etiam lubricitas Veſicæ urinariæ, Inteſtinis, aliiſque variis partibus hac de cauſſa contingit.*

Liquidum Urethram inungens non a Veſiculis Seminariis.

Non puto eſſe cur ſententiam liquidum Urethram mulcens a Veſiculis ſeminariis deducentem longius impugnemus; quum ſatis omnibus conſtet in Animalium multis ſeminales veſiculas vel deeſſe naturâ, vel exſuccas adeſſe caſtra-

 tione

(a) *Hiſt. Anat. de Car. muſc. l.* V. *quæſt.* XI. & *De Part. gener. dic. l.* VII. *c.* VI.
(b) *Cap. ſupra-cit.*
(c) *lib. De Gland. c.* 31.
(d) *Anat. l.* I. *c.* XXI.

tione: nihilo tamen minus in his æquè ac in aliis Urethram humore deliniri; ut ſemineo liquore maderet Urethra, continuum ejusdem in illam defluxum neceſſarium fore: quum tamen omnes pueritia, aliquos caſtimonia, multos temperantia, animalia omnia ſtructuræ (ab appoſita præcipuè Caruncula) ſeu velis Naturæ neceſſitas, vel diu, vel ſemper, vel aliquandiu a ſeminis effluxione coerceat; humorem quo Urethra lenitur ab illo veſicularum multùm diferre; prodigam nimis fore Naturam, quæ tam pretioſo liquore, ad neceſſariam Venerem defuturo, nimis abuteretur ad linimentum Urethræ, velut qui balſama pretioſiſſima ad inungendum profunderet, ut illi quondam elumbatæ magis mollitiei homines, & voluptuoſorum proceres balſamis ex ultima Arabia deportatis caput totumque corpus inungebant, ut prodigialiter prodigi ad plenum luxuriæ parentarentur.

Non a Proteſtatis. Quoad ſuccum verò Proſtatarum patet illas alto in receſſu conditas, ab Urethræ extremo nimiùm diſſitas fore, neque ab illis ſuppeditatum liquidum per totam æqualiter, & perfectè Urethram perduci, eamque obducere commodè poſſe, qualiter uſuum mox enarratorum

ſo-

ſolemnis in Naturæ operationibus perfe-ctio exigebat, ut liquet ex ſuperiûs (a) adductis incommodis in canali aut cavitate per liquidum ex uno fonte, nec per totam canalis aut cavitatis internam ſuperficiem multiplicato erumpens obliniendâ. Denique ductuum Proſtatarum orificia exiguis quibusdam carunculis obturari omnes conſentiunt Anatomici, quibûs certè ne continuus ſit liquoris Proſtatarum effluxus ſatis cavetur, nec niſi ſuperaddita vi Proſtatas conſtringente, ſuperabitur papillularum reſiſtentia, exitusque permittetur.

Neque ab ipſa Urethræ ſubſtantia; cum ſecretiones omnes moliri per Glandulas Natura conſueverit, & nihil alioquin peculiaris texturæ habeat Urethræ interior ſubſtantia, quo facere ad ſecretionem poſſit. Fortè idem *Diemerbroeckio* quoad rem præſentem dici poſſet, quod *Gliſſonio* (b), mucum inteſtinalem ab inteſtinalis tunicæ parenchymate deducenti, Jo: Jac: *Harderus* (c); nempe quòd *ſi nomine ſubſtantiæ ſeu parenchymatis* interioris tunicæ *Glandulas quoque intelligat, ſententiam non rejecerim.* Non ab Urethræ Subſtantia.

(a) *Cap. I.*
(b) *De Ventric. & Inteſt.*
(c) *Epiſt. ad Peyer.*

Nullus verò rem meliûs odoratus eſt, quàm ad miraculum usque ſagax, & induſtrius genitalium diſector Regn. *De Graaf: Tertia opinio eorum, qui in corpore glandoſò humorem gigni, vel excerni arbitrantur, ea-tenus quidem non errant; ſed dum illum primariò ad obliniendas, & humectandas vias urinarias factum volunt, noſtro judicio erroris ſunt arguendi; cum ad hoc non requireretur tantus apparatus, utpote cum innumerabiles viæ, quæ per totum Urethræ ductum, præſertim in Vitulis aliisque animalibus grandioribus, conſpiciuntur, ad humectandam Urethram ſatis multum liquoris poſſint adferre.*

De Vir. org. gener. inſerv.

Non ab incertis *Graaffii* viis niſi ſint no-.

Et quidem poſtquam Glandulas Urethræ Diſgregatas detexi, cùm in hunc *Graaffii* locum inciderem geſtiebam ſummopere tenues labores meos indefeſſo Genitalium Scrutatori jam pridem placuiſſe. Antequam verò illas detexiſſem (meam vel in legendo incuriam, vel ad intelligendum habitudinem fateri ingenuè lubet) quamquam ſæpe meis verſaretur manibus *Graaffius*, nunquam in citato textu moratus fueram, aut quidquam affulſit mihi, quo rem iſtam agnoſcerem, ſed neque ut tentarem. Atqui eâdem

eâdem (quâ ego) incuriâ culpandi eſſent quotquot de Urethra poſt *Graaffium* ſcripſere Anatomici undequaque exactiſſimi, niſi meam antehac, auctorumque inobſervantiam excuſaret ipſa *Graaffiani* textus manca, & obſcura expoſitio, quæ quid ſint hæ innumerabiles viæ, aut unde prodeant, an glandularum excretoria ſint, vel meri membranæ pori, & an in homine, quove modo ſe habeant, minimè certò declarat, ut rem ſeriò tractanti opus fuiſſet; ut clarè conſtet id imperfectum adeò & anceps a *Graaffio*, ut ferè intactum videatur. Hæc ſanè ex illorum ſunt genere, quæ poſtquam curioſa cadaverum ſectione didicimus, in Authoribus agnoſcimus, quorum lectione contentos ſemper latuiſſent velut ſepulta, aut nondum huc-uſque comperta. Quidquid ſit tantum abeſt ut ſuſceptam provinciam velut alienam deponendam, quin potiùs ineundam alacriùs cenſeām; eo-met ipſo quòd *Graaffius* tametſi lucem mihi non attulerit, ſaltem eximium nunc addat inſtituto noſtro robur & firmamentum.

Profectò licèt de Glandulosa Inteſtinorum ſtructura jam ante ſcripſiſſet

Franc.

Franc. *Gliſſonius* (a), Oliger. *Jacobæus* (b), Jo: *Swammerdam* (c), Marcell. *Malpighius* (d), & Caſp. *Bartholinus* (e) in extis leporinis; nihilo tamen minùs Accuratiſſimus *Peyerus* Jure omni, & univerſali plauſu Glandularum Inteſtinalium inventor cluet. Neque hoc affectando Inventoris nomini dictum putes, quippe hôc animo diſſimulare *Graaffii* locum facilè potuiſſem, sed agere candidiûs volui, æquiùs aliorum candori judicum relicturus,

Adjungeret fortè hìc quispiam Hieronymum *Barbatum* (f), velut qui agnoverit *albeſcentes ductus ad Glandem uſque sub Urethræ tunicam expansos*. At verò ab Ejusdem textu patet quàm longè a re noſtra, & veritate diſtet *Barbatus*, qui pag. 40. *quot verba tot figmenta proponit*, ut verbis utar Caſp. *Bartholini* (g): *Proſtatarum radices* (inquit Barbatus) *ab Arteriis naſcuntur per corpus Penis expanſis, unctuoſam non extravaſati ſanguinis humiditatem intra Proſtatarum cavitatem adducentes, quæ muſ-*

(a) *Lib. de Gul. Ventr. & Inteſt.*
(b) *Act. Med. Th. Bartholini Vol.* 3. *Obſ.* 64.
(c) *Figur. â Th. Bartholino communicatâ.*
(d) *Epiſt. ad Jac. Ruffum.*
(e) *Act Med. Haſn. Vol.* 1. *Obſ.* 136.
(f) *In Diſſert. Anat. de Format. Organiz.*, & *Concep. &c.* (g) *Epiſt. ad Ger. Blaſium.*

muſculorum ſuper-impoſitorum compreſſione in alios pellitur albeſcentes ductus ad Glandem usque ſub Urethræ tunicam expanſos, rotundaſque Penis dein innumerabiles ingreditur fibras, ubi calore arteriarum fit tenuior, ſicque venereis imaginationibus, cognitionibus, aut delectabili contactu accendatur ſanguis, extenuatur magis fibrillarum humor, ac vertitur in flatus, quibus erigitur, tenditurque Colis &c. unde patet non modò quàm fictitius ineptusque, ſed etiam quàm alienus a Re noſtra *Barbatus* ſiet; utpote qui (quantùm conjecturâ aſſequor) pro canalibus Proſtatarum aſſumpſerit albos illos tractus, quibûs interna Urethræ facies picturatur.

Quoniam igitur iſtud Urethræ linimentum, vel nullum, vel ſanè inſufficiens dari a Proſtatis poteſt: earum itaque vel ſupplementi, vel adjumenti loco, Glandulas alias extruere opus Naturæ fuit, noſtrum inquirere; eandem rationem & modum illa adhibens, nos comperientes, ac Pancreati Peyerianæ, Conglomeratis ſalivalibus ad Labia, Palatum & Fauces, minores Diſgregatæque aliæ fuerunt ſuper-addendæ, tanquam aſſeclæ, aut ſaltem affines. Quàmque affines ſint cum Proſtatis Diſgregatæ noſtræ, patet in Brutis

Proſtatis ſupplemento additæ.

Diſgregatæ.

Brutis illis, quorum Penis eſt magis nervoſus & tendinis in morem rigidior ut Bovi, Cervo, Capro, aut Hirco, Ariete, aut Vervece, Porco &c. Proſtatæ non in unum corpus glandoſum coadunantur; ſed pluribus ſingilatim diſtributis, ſeriatimque diſpoſitis Glandulis ad normam illarum, quas Urethræ Diſgregatas apello, ſimpliciùs efformantur.

Diſgregatæ in Brutorum Urethra.

Porro Brutis hujuſce generis, utcumque grandioribus (quidquid dicat citatus * ſupra Graaffius) Diſgregatæ noſtræ non adeò conſpicuæ pro longitudine Urethræ apparent. Quin ipſâ etiam in Urethra Equina, ubi ſpectabiles maximè Glandulas mihi promittebam, mirabar exiguas adeò, ut primò vix, indè tantùm, dari poſſem aſſerere: Fortè quòd minùs aptæ ad hanc obſervationem nobis occurrerint Urethræ; ſed fortè etiam quòd hiſce animalibus, utpote Herbivoris, minùs ſit acris urina, nec-non aliquantulùm glutinoſa; in Equino potiſſimùm genere; cui ideò ad Penis & Urethræ proportionem minores ſunt, quàm in reliquis animalibus ſupra notatis: in Porco autem contraria de ratione magis, quàm in reliquis ex hoc genere animalibus, manifeſtæ. At verò quibus Penis eſt oſſeus, ut Cani, Vul-

* *pag. mea.* 39.

Vulpi, Lupo, Urſo, Leoni & conſimilibus, cùm animalia ſint Carnivora, ſalibus ab alimento eliquatis onuſtam magis acrioremque urinam emittentia, conſpicuæ aliquantulùm magis, quàm in ſupra-citatis Glandulæ ſe ſe produnt. Nullî verò magis quàm Homini inſignes adſunt, quum ejusdem, ut Vini-potoris, magis quàm reliquorum animalium, urina armoniaco ſale præpolleat, ſola donetur Philoſophico, *Jungkenii* ſententiâ, magisque adurente ſtimulo acuatur, majoremque faciat munimenti neceſſitatem. Hinc Muliebri quidem Urethræ ad proportionem brevitatis ſuæ ſatis patentes occurrunt ductuli a ſubjecto glandulari corpore producti, non illi modò, quos *in principio Urethræ, & in inferiori antica Vaginæ parte obſervat, in inferiori parte, prope Meatus urinarii exitum* collocat, & *Lacunas* apellat *Graaf*, quosque ſolummodo deſcribunt vulgò Anatomici; ſed alii inſuper, exigui licèt, in ipſo-met urinario meatu ſatis aperti. Virilis autem Urethra, utpote longior, & officio, præter urinæ excretionem, digniori ſpeciatim dicata, canalium & Glandularum ſegete lætiori ditatur, noſtramque ideò tractationem iſtam ad ſe præcipuè convertit.

In Humana.

Med. præſ. ſæc. accomod. part. 3.

In Muliebri.

De Mulier. Org. gen. inſerv. De Meat. urin.

Ete-

In Virili. Etenim-verò ſi longa ſectione, per longitudinem quam velis, Urethram aperias, totam primò faciem ejusdem internam viſcido fluore uliginoſam, lubricamque ſtatim obſervas: plurimis ac tenuiſſimis canaliculis huc illucque micantibus totam penè ſcaturiginoſam nullo labore conſpectas; detractâque interiori tunicâ nerveâ, eidem ſubjecti, corporique urethræ ſpongioſo altiùs inſculpti emergunt orbiculi ſubrotundi; unde vaſcula excretoria prædicti prodeunt canaliculi liquorem ſeroſo-viſcidum tenui gutture funditantes.

Deſcriptio.

Varietas in multitudine. Atqui quod in Anatomicis occurrit ſolemniter, non in Urethris omnibus æqualem tubulorum & glandularum magnitudinem, numerumque comperies: In aliquibus plures occurrent, in aliis pauciores; ſemper tamen ſatis, aptèque ad neceſſitates ſuas: In aliquibus pauciores ſunt ſed majores, in aliis minores, ſed proportionaliter multiplicantur; ut nusquam iniquam agnoſcas omnium Parentem & Arbitram, quæ ſuarum ſtudioſa partium ubi in multitudine defuit, magnitudine adauctâ compenſat, profuſiorem verò multitudinis alicubi munificentiam, debitâ magnitudinis detractione contemperat.

Quin

Quin velut exſecto Pancreate in Canibus tum Glandulæ, tum liquoris pancreatici deffectum ſolito copioſiori lymphæ a glandulis inteſtinalibus, tùm magis tumentibus, affuſione ordinario compenſari obſervat *Brunnerus*, ſic nunquam magis conſpicuæ fiunt, ſuccumque copioſiùs, ultroque Urethræ ſuppeditant Glandulæ Diſgregatæ, quam ubi exiguas admodum eſſe ad Urethræ baſim Conglomeratas contingit. In magnitudine. *Experim. nov. circa. Pancr.*

Neque æqualis ſemper aut ſimilis omnino eſt in Urethris omnibus ab hiiſce Glandulis liquor: quandoque enim illa eſt uliginis hujuſce copia, ut cænoſa velut ac lutulenta videatur Urethra. Licèt etiam ſeroſo-viſcidiusculum ſit & albeſcens liquidum, ſæpè tamen, quoad conſiſtentiam, mox difluxile magis ad ſeroſum, mox hærens magis ad mucilagineum; quoad colorem, mox ad diaphanum, mox ad pallidum; mox ad ſubluteolum, magis accedit, & multiplices varietates aſſumit, prout eſt liquorum, a quibus ſecedit, & glandularum, atque canalium, per quos ſecernitur, ac fluit, major, aut minor a naturali inmutatio. In Liquore.

Orbiculorum vel (ut organa ſecretioni deſtinata appellare conſuevimus) glandula- Glandularum. Habitudo.

 dula-

dularum, ſaltem plerarumque magnitudo exigua adeò, ut ægrè conſpicuæ fiant: ſubſtantia mollis & facilè concidens, ut ſi paululùm contrectentur exinanitæ collabantur, ac ferè dispareant: figura ad orbicularem multùm accedens; copioſiori namque liquore turgidæ quandoque in ſubrotundum tument, ſucci autem copia quandoque minori in lenticularem jacent.

Structura. Structurâ veſiculares utriculo conſtant membranoſo tenui, cavitatulâ prædito, qui ſe ſe anguſtando guttulum ſuum efformat, & ſenſim exileſcens meatum producit, ac per nervoſam Urethræ tunicam transverſum agit, figurâ conicum, cujus latæ baſis loco ipſa eſt glandula, apex in Urethræ cavitatem hiatus.

Plerique diſcriminati invicem glanduloſi folliculi ſuum ſibi canaliculum ſingilatim efformant, aliàs verò aliquot unà colligantur, canalesque magis conſpicuos emittunt, ordinariò duorum numero vel trium, ſed rariùs in Urethræ Cavernulam aut prope ſaltem hiſcentes. *Vid. Fig. I. lit. ooo.*

Compoſitio Diſgregatárum majórum. Quo autem modo hæc glandularum collectio fiat, nempe an per multiplices glandulas ad mutuum contactum in eodem plano coadunatas, & velut in legionem congregatas, ſingulas ſuis prædi-

tas

tas excretoriis ſingularibus in cavum aliquod aut utrinque apertum, aut cæcale hiantibus, quem-admodum tenuium inteſtinorum Racemoſæ, aut ad Cæcum glandulæ confertiſſimæ; an verò per glandulas plures velut in racemum collectæ, aliæque aliis ſuperſtratæ, & in idem excretorium patentes velûti quæ verè appellantur Conglomeratæ; propter rei exiguitatem nihil ſcerti deprehendere potui, propter debitum ſcribenti candorem, nihil auderem aſſerere. Si tamen datur ſententiæ meæ locus coadunatæ potiùs eſſe quàm verè conglomeratæ videntur. Profectò ſi mei me oculi non fallunt penitus, non unus ad grandioris canalis extremum grandior folliculus, aut granulorum glandularium maſſa, ſed ejusdem fundus pluribus inſculptus utriculis apparet manifeſtò.

Poſtquam *Galenus* a neceſſitate glandularum ad Inteſtina neceſſitatem Proſtatarum ad Urethram deduxit: Poſtquam Jo: *Fantonus* (quem propter præclarum animi candorem non minùs, quam plusquam ſingularem in rebus anatomicis & medicis eruditionem, non ingenuo minùs amore, quàm debitâ obſervantiâ amicum proſequor) in *Diſſertationibus Anatomicis* quas tanta cum ſui gloria, tanta *Supra cit. lib. II. de Sem. cap. VI.*

cum Orbis utilitate Publico nuper conceſſit: poſtquam (inquam) Egregius Vir *analogiam inſtituit inter canalem inteſtinalem, & urethram, inter glandulas potiſſimùm lenticulares inteſtinales, & glandulas proſtatas: & quem inteſtinales in inteſtinis, proſtatas in urethra uſum præſtare* ſapientiſſimè cenſuit: liceat mihi lumine a *Galeno*, exemplo a *Fantono* excepto, eandem comparationem proſequi atque provehere, & majori ſimilitudine analogiam confirmare, atque etiam augere.

Diſſert. VI. *P.* 181.

Inter utramque igitur fiſtularum quæ egerendis potiſſimum excrementis dicantur, nimirum inter canalem (ſic appellare liceat) fæcalem, & urinarium analogiam inſtituo, inter glandulas Inteſtinorum lenticulares, & Diſgregatas Urethræ. Perſimilis quippe omnino utrarumque, diſpari licèt mole, ſtructura, figura, & conſiſtentia; quibûs ſanè qualitatibûs non Racemoſis minùs quam Lenticularibus Inteſtinorum ſunt comparandæ: quum nulla ſit Racemoſas inter & Lenticulares quo-ad ſtructuram uſumve diverſitas, ſed in hoc uno tota, quòd (uti in Gallinaceorum Bulbo ventriculi *Peyeriano* molendinaris machina) ſic illas in tenuibus inteſtinis aliqua peculia-

Glandulæ Urethrales Inteſtinalibus Analogæ.

ris

ris utilitas inſtar manipulorum congeſſit, quas libera & ſimplex Inteſtina oblinientis, contentaque modificantis liquidi ſuppeditandi neceſſitas, velut in Craſſis, ſic in reliquis nullo vetante aptiſſimè diſgregaſſet.

Quod utiliſſimum in craſſis inteſtinis, etiam in Urethra fuit, ut non civiles ſeu in aggeriem collectæ, ſed inciviles ſive ſegregatæ invicem fuerint glandulæ, ne alicubi juſto magis cumulatis, alibi longiorique ad-modum tractui denegatis, inæqualiter nimiùm hùmectaretur Urethra, majorique illic exceſſu, illic defectu liquidi, ubique detrimentum proveniret: quum e contra ſingilatim diſpoſitis, ſejunctisque ad brevia intervalla laticibus riguo debita proportione diſtributo tota gaudeat Urethra. Utrobique Segregatæ.

Quod ut promptis quaquaverſum emiſſionibus fœliciùs contingeret; non diſgregatim modò, ſed & temere velut ſparſa & vaga meatuum turba diſponitur; neque enim ullum in ſitu ſuo ordinem exactè ſervant; niſi regulæ cujusdam loco habeas, quòd ſeriatim ferè, & parallelé diſponantur, tum inter ſe invicem tum ad albam lineolam, quâ Urethræ concavitas per mediam longitudinem dirimitur; quod tamen rigoroſè ſumen- Inordinatæ.

dum non eſt, cum aliqui ab inſtituta ſerie exorbitent paſſim tum in ipſa-met linea, vel propiùs ad ipſam, vel remotiùs aſſurgentes. Quæ ſanè temeraria velut diſpoſitio quanti ſit conſilii, patet ex pluribus in omni Diſgregatarum genere hujus poſitionis exemplis, quanti verò emolumenti, ex iis quæ de Glandulis Diſgregatis in genere diximus ſupra.

Adquos uſus.

Exemplum a murariis.

Nempe quo tectorum, perſimili animalium machinatrix ſcientia uſa videtur artificio: velut illa lateres non in directam perpendiculariter ſeriem ſuperponit, ſeu non ita ut later lateri quoad ambitum congruat, ſed ita alternè ut perpendicularis linea contactûs duorum Laterum bifariam ſecet laterem ſuccedentem, cujus longitudo ſuper-ponatur duplici ſubjectorum Laterum ſemi-longitudini; ita hæc tum in locis pleriſque, tum maximè in Inteſtinis & Urethrâ glandulas, earumque canales non in rectas ſeries inter ſe parallelas, ſed alternè diſpoſuit ita ut ſpatio inter duas glandulas vacuo correſpondeat, ſive ſuper locetur glandula: Et velut Illa expoſitâ diſpoſitione ligatis invicem Lateribus validiſſimæ reſiſtentiæ moles diuturnas ſolidat, quas per ſeries perpendiculares, & mutuò parallelas invicemque disjun-

junctas extruxiſſet evanidas, raras, brevique caſuras; ſic Iſta ſpatiis intra glandulas alterno ordine occupatis totam debitè, ut plurima etiam cava, implet Urethram, & unicuique ejusdem parti glandulam & canalem adaptat ſuum. Quod ſi glandulæ in ſeries ſibi invicem parallelas fuiſſent diſpoſitæ & plures eformari glandulas, aut ſeries ſibi invicem proximiores inſtrui opus fuiſſet Urethrâ non æquabili aliter irroratione ditandâ.

Et inequales.

Quæ itaque inordinatæ & velut diſjectæ per incuriam primâ fronte videbantur, glandulæ non tales verè ſunt, ſed alternè maximâque curâ diſpoſitæ, aptâ etiam ad hoc diverſitate magnitudinis: quâ tum glandulæ tum canales inæquales occurrunt, hique tum diametro tum longitudine, atque aliqui exigui adeò ſunt & breves, ut parvulô unicè ſe ſe prodant oſtiolô.

Ad Canalis Principium vel nullæ.

Conſimili quoque ratione ut locis ſuis proportionalis ſit, inæqualis eſt canaliculorum diſtributio. Et quidem velut *Duodeno ac Jejuno Pancreas fermenti affatim ſubminiſtrat, ut plures ibi glandulas non requiri putet Peyerus*; ita & inſtitutæ analogiæ, & Diſgregatarum Urethræ Glandularum uſibus minimè diſſentaneum videbitur quòd aliquis

Epiſt. IX. ad Muraltum.

vel paucæ.

quis a Proſtatis urinarii canalis tractus propoſitis glandulis vacuus ſit & inmunis.

Infra canales Conglomeratarum præcipuè adſunt. Cap. III.

Primò itaque paulo ſupra Urethræ medium, ibi loci ubi primùm illa emicat a Perinæo, duo primùm Canales majores emergunt, quos unà cum glandulis ſuis Conglomeratis deſcripturi ſumus inferiùs. Hìc primò ex Diſgregatarum ductibus ſolitarium aliquem obſervabis in ipſa met area, vel peninſula, quam exarandi mox ductus majores eformant, intercipiuntque: poſtmodum verò emergere ductus incipiunt prope Eorum exitum.

Majori illic neceſſitati.

Quoniam autem infra exarandi Conglomeratarum Canales ſufficientem liquoris copiam effundunt; hinc prope eoſdem, non multos extrui ductus neceſſarium fuit: quò verò aliquantulùm receditur copioſiores: quare non magna circa Canalium Majuſculorum exitum meatuum copia, major circa Urethræ medium, plusque adhuc quò magis ad Urethræ extremum acceditur.

Ut in Craſſis Inteſtinis Sic ad Urethræ cavernulam majores.

Velut in craſſis inteſtinis ab excrementorum duritie ac aſperitate moleſtæ confricationis ac etiam lacerationis periculum in nervea tunica, affixæ in eorum ductu glandulæ ſuccum glutinoſum co-

pio-

pioſiùs ſuppeditantes providè impediunt præcaventque, ſic etiam glandulis numeroſiùs ſoboleſcentibus ditatur, inungiturque copioſiùs ad Cavernulam Urethra, ubi acrior aliquantulùm urina, ſemineum aut putridum quidpiam hærere, acriterque exurere faciliùs poteſt.

Atqui velut glandulis inteſtinorum aliæ ad podicem ſuccenturiantur, quales *marſupiorum exilium ſpecie apud Joſephum Duverney in Hyæna odorifera*, indèque in homine ſimiles *Graaffianis Lacunas* obſervavit Conrad. *Peyerus*: ita ad extremum Urethræ, ipſumque Glandis oſculum, & quà oſculi labella inferiùs committuntur, & Frænuli ligulà colligantur, e vix ſenſili, longô tamen tubulô oſtiolum curioſè aperitur, ſuum eructulans liquidum; quod ni factum Glandis oſculum utpote acri magis expoſitum, faciliùs exſiccatum corrugaretur, ac conniveret, aut exquiſitiſſimi utpote ſensùs uſtulatum ſæpius indoleſceret.

Exerc. 2. De Gland. Inteſt.

Ut ad Podicem Succenturiatæ Peyeri ſic ad Glandis Oſculum majorum Glandularum aut ductuum unus aut alter.

Ut autem & Glandulæ, & quæcumque huc-uſque expoſuimus meliùs pateant, placeat Tîbi interiori tunicâ Urethram deglubere. Nerveam interiorem

In ſecunda interioris tunicæ lamella locantur.

membranam duas in lamellas facilimè divides; quarum prima tenuiſſima eſt, ſecunda verò conſiſtentior. Huic affixæ ſunt glandulæ: ita tamen ut ſupra poſticam hujus tunicæ faciem versùs ſubjectam nerveæ tunicam, aut ſupparem tunicæ, ſpongioſam ſubſtantiam extuberent, & tunicæ nervoſæ velut appenſæ ſpongiosâ excipiantur, eique innixæ reticulari contexturâ firmentur. Namque cum Corpus Urethræ ſpongioſum multiplici vaſorum in omnem peripheriam flexuosè propagatorum congerie conſtans vaſculoſis ubique cancellis reticulatum ſit & ſinuatum; inter reticuli plagas ſeu maculas Glandulæ nidulantur, ſcrobiculos foveolasque nactæ, velut ad formam & habitum ſuum exculptas; nec-non vaſculis plagæ lateralibus illarum parietes proſerpentibus perbellè ſuſpenduntur, pulchrèque irrigantur.

Et excipiuntur ſpongiosâ ſubſtantiâ.

Liquet igitur reſpectu Glandularum ſuarum ſpongioſam Urethræ ſubſtantiam tunicæ vaſculari, quæ canalium & cavitatum glanduloſarum tunicæ glanduloſæ ſuper-incumbit, comparari aptiſſimè poſſe.

Velut tunicâ vaſculari.

At verò e multiplici vaſorum ſtrue velut e multis laminis vaſculoſis extructum Corpus Urethræ ſpongioſum ut ſtru-

ſtructurâ & mole reliquas in humano corpore tunicas vaſculoſas exſuperat, ita quod officii in illis expoſuimus ſupra (a), aptiùs præſtat.

Quem-admodum ad OEſophagum, Ventriculum & Inteſtina, tunicæ glandulosæ cavus eorum muſculus circumducitur, aut in partibus reliquis glandularum plano carneæ fibræ ſuper-extenduntur, talis ad Urethram eſt externa ejuſdem tunica, interna craſſior, & villis orbicularibus texta, quorum contractione, conſtrictâ Urethrâ, contenta ac præter-labentia commodiùs expelli omnes conſentiunt Anatomici.

Potentiæ Glandulas premunt.

Externa Urethræ tunica.

Neque excludenda omninò tenuis illa, ſolida tamen membrana, quæ cuti ſubjecta penem totum ambit arctiſſimè, quam tum Antiqui, tum Neoterici, paucis exceptis, Anatomici Panniculum Carnoſum, (b) *Riolanus* Carnoſi Panniculi productionem apellat. Idque ex eo potiſſimè velim, quòd ea ex parte, qua Urethræ ſuper extenditur, robuſtior atque fibroſa magis evadat in Viris præſertim mentulatioribus.

Panniculus carnoſus.

Equi-

(a) *Cap.* I. *p.* 29., & 30.

(b) *Enchirid. Anat. l.* 2. *c.* XXXII.

Velut in Equo Muſculus.

Equinam Urethram ſemi-ambit Muſculus ferè circularis ſatis validus, fibris conſtitutus ab ipſo Penis corpore utrinque ſupra Urethram deſcendentibus, & ad lineam Urethræ longitudini mediam ſibi invicem adnexis & colligatis. Humanæ profectò Urethræ conſimili muſculo opus non fuit, analogâ tamen certè potentiâ, & neceſſitati ſuæ proportionatâ, licèt minori. Nec modò ratione contractilis potentiæ, ſed etiam ratione arctioris involucri exaratus panniculus Urethræ conſtrictionem procurat: quo fit ut Nervoſis Corporibus Urethra continuò applicetur, ipſisque cum ſpongioſa Urethræ ſubſtantia turgentibus, & extrorſum urgentibus, tuncque ipſorum diſtractioni contra-nitente Panniculo, Urethra magis anguſtetur.

Biblioth. Anat.

Et Corpora etiam nervoſa.

Corpora quin etiam nervoſa peculiaris ſtructuræ muſculum conſtituentia ex *Malpighii* ad *Mangetum* Epiſtolis, muſculi quòque officium ſupra Urethram præſtant unà cum Glande, ut Urethram & Glandulas comprimant, præcipuè quæ ad Urethræ fornicem ſunt inſculptæ, ipſique Corpori inmediatè ſubjectæ. Hinc puto eſt quòd paulò magis conſiſtentes tum Glandulæ tum exterior Urethræ tunica ad Urethræ dorſum videtur

detur qua longitudine Corpori Nervoſo ſubjicitur.

Vaſcula igitur plurima a ſpongioſo Urethræ corpore communicata glandulas perreptant irrigantque, atque a membranoſo Folliculi cujusque pariete in cavitatula lenem humorem guttillulant, qui inibi velut in conceptaculo cogitur, ac detinetur, quò molles facilèque diſtractiles Glandulæ momentulo turgeſcant in reticulorum maculaṙumque gurguſtiolis ab aliquanta diſtractione nequaquam coercitæ, vel impeditæ; identidem verò nitentibus paſſim in diſtractionem, aut turgentibus vaſculis, glandulares folliculi arctiùs ambiuntur, paſſimque torcularis in morem coarctantur, utpote levi cuilibet compreſſioni facilè cedentes, & obſequentes prementi.

Liquoris ſecretio in Glandulis.

Reticulîs ergo vaſcularibûs Glandulas comprehendentibûs alterno ſyſtolis & diaſtolis motu agitantibûs, villis autem Urethræ applicitis aſſiduè in contractionem nitentibûs ac oſcillantibûs, aliquid ſemper liquidi in Urethræ cavitatem emulgebitur, ut mulcentibûs rivulîs rara veluti pſecade, ac mollî ſubſtillô Urethra paſſim ac ferè indeſinenter ſuavi temperamentô leniùsque adluatur,

Excretio fit a vaſis.

Facilitatur a tenuitate Glandularum & Canaliculorum.

atur, leviculo ictui cedentibus canaliculorum ſaltem plerorumque brevitate, quoad magnitudinem, ac conſiſtentiam tenuitate, nec-non etiam poſitione illa, qua ita ſupra Urethræ longitudinem plerique jacent, ut eandem habeant cum Urethra directionem: nempe quòd anteriùs, ideſt verſùs Glandem proſpectent, Urethrâ in laxitatis, ac ordinario ſtatu, deorſum vergente ac inclinatâ, facilem habeat liquor iſte in, ac per Urethram defluxum. Quod autem pauculi aliquot Urethræ alveo adverſi notentur tubuli, id univerſim non officit, cum maximè difficultas aſcenſus a brevitate compenſetur facilime ſuperabili. Quin etiam oppoſita Urethræ directioni pauculorum horumce tubulorum poſitio præcipuùm facere ad oppoſitum quandoque ſtatum Urethræ, eumque liquoris maximè indigum, conjectari poſſemus.

Eorumque brevitate & directione.

Remoratur ab eorum tenuitate, conicâ figurâ, obliqua poſitione.

Ut verò ad majora, ut opus erat identidem, diſpendia tantulùm cumularetur, frænari, ac morulîs cohiberi liquoris hujusmodi fluxus debuit, idque præter canaliculorum tenuitatem, conicam figuram, & obliquam poſitionem, aliqua eorumdem tortuoſitas præſtat, mollique proſerpere flexu lympHulam cogit. Inclinati quippe per longi-

gitudinem Urethræ, interiorique ejuſdem tunicæ exculpti canaliculi & Urethræ & nerveæ tunicæ varietatibus non obſequi nequeunt, ſicque non directi ſemper, ſed concidente laxâque in ordinario ſtatu Urethrâ, laxi flexuoſique ſunt etiam in ordinario ſtatu canaliculi, non incommoda ſanè ad fluxum difficultate.

Aſt ubi major hujuſce liquidi influxus intrà ſeminis, urinæque excretionem exigitur; quæ hujus liquoris copiam exigunt, ipſæ faciunt utræque per Urethram excretiones: namque decurrente ſupra compreſſiles facilè tubulos urinâ vel ſemine, Glandularum fluor facilè & copioſiùs exprimitur: Eôque maximè quòd tubuli dorſó ſuo ſupra Urethræ planum leviter prominuli, & obliquè producti id præſtent ut comprimens deſuper liquidum validiùs incurrat, & in tranſverſè objectos Canales contra nitens vires concitet majores, eorumque majorî momentô liquorem expreſſent.

Promovetur in Urinæ ſeminiſque excretione.

Concitato autem ad Venerem animali has quòque turgere Glandulas, & ſuum quoque ſtimulum addere minùs improbabile videretur. Sic proludente etiam quandoque Venere ſuccenſis Genitalibus, diſtentâque Urethrâ & a turgen-

Turget in Venerem.

gentibus vaſis in Glandulas & a turgidulis Glandulis in Urethram per tubulos facilè patentes; tumque præſertim directos non ſinè impetu quodam tacitus ille & clandeſtinus in motibus illis primòprimis, ac ferè ſine ſenſu, aut ſanè conſenſu vel animadverſione diffluet humor; in his præſertim qui Veneri magis facti; aptique ùt reliquorum ſic horum quòque genitalium ſiphunculorum magnitudine numeroque ditantur.

In eâque copioſius proſilit.

At verò in ipſa-met Venere quanto plus liquidi, majori cum impetu promptis quaqua-verſum emiſſionibus velut ejaculati proſiliet; tanquam prolifico ſemini genuinoque acceſſorii, quo prælinito tramite; adauctaque mole ſemini; ejusdem & facilior & voluptuoſior viris ejaculatio, mulieri receptio contingat.

CA-

CAPUT III.

De Glandulis Conglomoratis Urethræ.

UT proximo Capiti rem Diſgregatarum, ſic præſenti Conglomeratarum univerſim claritatis ergo præmittere & animus mihi & operæpretium erat; id tamen quum variis de cauſis mihi licuerit minùs, ſejuncti capituli locô habebis ea, in quæ paſſim exorbitavit calamus, generalem Conglomeratarum Doctrinam quoquomodo attingentia.

Ad globulum illud ſpongioſum, lividum & ceraſi-forme corpuſculum, ſpongioſæ, qua conſtat Urethra, ſubſtantiæ principium, non longa infra Proſtatas diſtantia, parvæ proſtant Glandulæ, minoris fabæ communiter magnitudine; in hac enim variant admodum: inter majores quas videre contigit, illæ ſunt quas in Figura exhibemus. Pondus ad lancem exigere (ut de Glandulis ſuis Ant. *Nuck*) ſupervacaneum duximus.

Glandularum Urethræ Conglomeratarum Situs. Magnitudo.

Vide Fig. I. Litt. MM.

Sialograph. nova.

Facies externa. Harum facies eſt qualis veſiculis Seminalibus Simiarum a *Gerardo Blaſio* (a) pingitur, ſeu meliùs ſpecies tota eſt glandularum conglomeratarum. Albidus gratusque qualis glandulis conglomeratis color; figura oblongo-rotunda, quæ tamen ſub-indè variat; ſuperficies inæqualis, velut ex acinis plurimis compoſita, ſeu hemiſphæriis plurimis tuberoſa.

Interna. Interna Glandularum ſtructura, quatenùs attingi oculis poteſt, ex plurimis glanduloſis pumicoſisque acinis videtur conſtitui, quos non meras eſſe texturas vaſculares *Nuckianas* (b), ſed folliculorum peculiari corpore membranoſo conſtantium congeries *Malpighianas* (c), eſt perquam probabile; utcumque indè peculiare hoc corpus glandulare canaliculo cylindrico vel advoluto in ſpiram, vel plicato in plicas ad modum inteſtinuli efformetur, quem-admodum ſtructuras ſecretorias exponit Doctiſſimus *Bellini* (d)

Ab

(a) *Zootomiæ Tab.* XII.

(b) *Adenograph. curioſa.*

(c] *Ep. ad Soc. Angl. de ſtruct. Gland.*

(d) *Opuſc. Prop.* XXIX. *De mot. Bil.* & *Propoſ.* XXXVIII. *De Ferment.* & *Gland.*

Ab Utriculi cujuslibet membranoſâ ſubſtantia, peculiari quadam ratione, modificata in totidem lagunculas, ſeu cavitatulas extillat guttulis omni captu minoribus, & ex cellulis in canaliculos excretorios peculiare liquidum, diaphanum quidem ac limpidum, viſcidum tamen ac tenax: licet non diffitear tantam in vivente animali viſciditatem non adfore, cum mors humoribus lentorem inducat non ſuppeditatis, avolantibus, fixatisve particulis volatilibus, quod in ſaliva huic humori congenere *Nuckius* animadvertebat. *Sialograph. nova.*

Harum itaque ſtructurâ glandulis conglomeratis eſt omnino perſimilis, uno diverſa diſcrimine ſoliditatis, quæ in his Glandulis major eſt, quum reliquæ conglomeratæ laxiores ſint, & molliores: Id tamen diverſam non arguit ſtructuram, & operandi rationem; hæc enim diverſitas tota pendet a majoribus vel minoribus ſpatiis glandulæ interceptis, adeòque a majori vel minori loculorum, ac inter-capedinum copiâ ac amplitudine. Nimirum aſſiduus quidem ſed modicus Liquidi hujus in Urethram proventus eſſe debuerat, ut ex infra-dicendis philoſophari licet, hinc minor loculorum copia ac amplitudo: quare

Velut in Conglomeratis.

Soliditatis.

Ratio.

quare anguſtiores relinquuntur areæ, & glandula minus compreſſilis, minùsque friabilis efficitur.

Et diverſitas. Simplicitatis amiciſſima ſimul & neceſſitatis provida Natura ſemper ſapientiſſima, ratione requiſitæ quantitatis liquidi debitam glandularum, ſeu glandularium folliculorum copiam accommodavit: vel in unum vel in plura loca confluendi cauſa vel in congerie congregavit, vel latius diſtribuit ſolitarias: excernendis diverſæ conſiſtentiæ lymphis, diverſæ etiam conſiſtentiæ glandulas tum Diſgregatas, tum Conglomeratas adhibuit.

In diverſis glandulis. Humori Pericardii, Pleuræ, Tracheæ, Peritonæi, & Vaginalis Teſtium tunicæ tenuiſſimo liquori exſtillando quòque tenuiſſimas ex obſervatione *Malpighii* Glandulas; Hominum & Quadrupedum OEſophago Medias, Volatilium OEſophago, reliquorumque animalium Ventriculi & Inteſtinorum & Narium muco, Auriumque cerumini craſſiores, easque in eodem ordine diverſimodè inæquales ad proportionem diverſæ conſiſtentiæ in liquido ſuo deſtinavit. Liquido Pancreatico utpote tenuiori glandulam minùs compactam, ſeu potius friabilem; Salivæ Pancreaticâ lym-

Ep. ad Soc. Reg. Angl. De Struct. Gland.

lymphâ aliquantillùm minùs difluxili, hinc Salivales magis compactas, viſcidiori adhuc ſalivæ conſtantiores dicavit Glandulas, Tonſillas potiſſimùm, quæ & acinis conſtat, majoribus & naturaliter admodum ſunt pumicoſæ, ut obſervat Ant. *Nuck*, Articulorum axungiæ glandulas, quas Tonſillis comparat ipſarum detector *Clopton Havers*, quæ ex membranis pluribus textæ denſitatis habent & roboris plurimum, nec ita facilè admodum divelluntur. Sic etiam Proſtatas ex valde tomentoſis efformavit utriculis, ſic etiam par erat ſimilem conſiſtentiâ Proſtatarum, liquorem effundentes Glandulas ex conſiſtentibus magis acinis efformari, ut viſcidiuſculus liquor ſpongioſo magis corpore meliùs excerneretur. *Adenograph. curioſa. Oſteolog. nova Diſcurſu IV. De Gland. mucilag.*

Quod maximè de Glandulis iſtis in Vitulo, Porco, Ariete, Cervo, conſtat, quæ compactæ admodum ſunt & ferè carnoſæ ſubſtantiæ; licèt id quòque ex eo provénire cenſerem quòd, cum probabile ſit haſce Glandulas Veneris uſu turgere, Vitulis in hanc palæſtram nondum admiſſis, immo a Venere per caſtrationem emancipatis, probabile eſt, anguſtatis vaſis, inanibus ferè loculis, retractis fibrarum faſcicu- In Vitulo, Sue domeſtico, Ariete, Cervo.

lis, minorem, gracilem, & duram reddi qualis obſervatur, Glandulæ molem.

Glandularum canales excretorii in Homine.

Porrò inſenſiles planè canaliculi ſingulorum acinorum excretorii in unum alveum concurrentes canalis excretorii principium intrà Glandulam conſtituunt, qui unus útrinque, alter ab altera egreditur Glandula, pellucidus & albumineo liquore turgidulus, ſtatimque egreſſus versûs Urethram inclinatur, mox ſub Ejuſdem tunica longo aliquo tractu, trium ſcilicet transverſorum digitorum longitudine defertur, donec paulò ſupra medium Urethræ, finem ſortiatur, ubi leviter compreſſus ab anguſto oſtio viſcidi liquoris globulos velut chryſtallinos depromit.

In Vitulino, & Suillo genere

In Brutis ſupra-citatis (quibus perſimilis eſt Genitalium ſtructura) ad terminum Urethræ carnoſæ (ſic appello canalem a cervice Veſicæ Urinariæ ad Penem productum, & muſculoſo corpore in hiſce brutis obvolutum) inſignis elevatur membranea valvula adinſtar velæ circum-tenſa, figurâ oblongo-triangulari, ſeu mitrali, Valvulis Venarum perſimilis, vertice ad cervicem Veſicæ, baſi ad elongatam inferiùs Urethram ſpectante.

Inter

Inter duplicatas hujus valvulæ tunicas canales prædicti deferuntur, qui tandem ad marginem Valvulæ in medio, duplici præ-anguſtoque oſtiolo deſinunt. Namque hìc loci eſt ubi abdominis cavum linquens ſurſum intorquetur Urethra, nervoſis corporibus committenda; ut proinde ne in aſcenſu ſuo renitens retro-laberetur lotium, apponi valvulam neceſſe fuerit, hunc regreſſum prohibituram: Atque ut hìc quòque loci reſtitantis fortè paululùm urinæ moleſtia caveretur, extillari a canaliculis liquidum demulcens neceſſe fuit atque præ-commodum. Aliquando ſed raró tamen ad-modum interior Urethræ tunica in viris ad præ-dictorum Canalium orificia in velæ modum ac Valvulæ ſpeciem elevatur, qua eadem oſtia obvelantur. Id tamen perrarum eſt adeò, ut pro genuino Naturæ machinamento haberi neutiquam debeat.

Eodem modo locantur ad Ure- In Equo.
thram *Equinam* Conglomeratæ, hôc diſcrepantes uno, quòd iſtæ majorem habeant Conglomeratæ faciem, ut illæ magis quoad externum Conglobatis accedunt.

In Fele domeſtico.
In *Fele Domeſtico*, ſeu *Cato* ad

radicem penis duæ adſtant glandulæ Proſtatis æquales, exiguum una-quæque ductulum, in Urethram emittens. Carneæ ſunt exteriùs, interiùs conglomeratarum granulata ſubſtantia: nempe nulli ſubjiciuntur muſculo, vel ambiuntur; ideoque externa ſuperficies fibroſa eſt: niſi fortè comprimuntur a muſculis penis Erectoribus, qui prope glandulas haſce ab oſſibus Pubis exoriuntur breves quidem ſed validi, atque toroſi.

In Mure domeſtico majore. His conſimiles ſunt conglomeratæ ad radicem penis in *Mure domeſtico majore* ſive *Ratto* poné muſculos erectores ſitæ.

In Echino ſeu Erinaceo Terreſtri. Hujus eſſe generis autumo Glandulas illas *duas albas juxta teſtes, aliasve duas luteſcentes iis minores*, quas in *Echino ſeu Erinaceo Terreſtri*, a ſe *diſſecto* obſervavit Franc. *Willughby*.

In Talpa. In *Talpa* haſce dari Conglomeratas, aut ſanè analogas ex *Schelhameri* obſervatione facilè judico, quam hiſce verbis adducit Jo: *Rayus*: *Corpora extus carnoſa manifeſtò, indeque rubicundiſſima; intus nervea, canali nerveo duriſſimo prædita, qui longè ante veſiculas ſeminales in penem ſeorſim inferebantur; porro circa veſicam aliud occurrebat globoſum* *Synopſ. Hiſt. Quadrup.*

boſum, carneum parte exteriore, interiore nerveum in ipſo Pene ſitum, in quòd cum ex veſica aditus erat, tum & vaſa ſemen deferentia terminabantur, ex quo Proſtatas eſſe apparebat. Sed poſt hanc demum inſertionem ex dictis corporibus rotundis, canales illi nervei ſeorſim in penem abibant. Ita ſe habent hujus animalculi genitales partes, in quibus tantum apparatum haud inmeritò admireris. Cum enim reliquis præter teſtes valde mediocres, quorum Paraſtatæ appendiculæ ſunt, & glandulas Proſtatas, veſiculasve, nihil Natura dederit; huic & maximos illos, & paraſtatas ampliſſimas, & reliqua; & inſuper novum corpus ſeminale, ab his diverſum ac ſeparatum, novis ductibus inſtructum conceſſit, penem & facilè omnium (ni fallor) animalium longiſſimum. Huc-uſque citatus ſupra Jo: *Ray.*

Glandulis iſtis aut Proſtatis analoga videtur glandula illa, quam accuratiſſimus Naturæ ſcriptor Franc. *Redi*, prope hepar in *Cochleis nudis*, ſeu *Limacibus terreſtribus* (a), quas appellat *Luma-* *coni* Analogum quid piam in Limacibus terreſtribus.

(a) *Oſſerv. intorno agl' Anim. viv. che ſi trov. negl' anim. viv. p. 43. Tav. XII. Fig. 2. let. m m m I.*

coni ignudi, accuratiùs obſervat atque deſcribit: *Ma ſiasì in che ſtato ſi vuole il teſticolo, o che-che ſia, ſempre in quella parte co'la quale egli ſta co'l vaſò ſpermatico, à la ſua eſtremità un altro canaletto ſottiliſſimo pieno di materia bianca groſſetta, il quale camminando per lo più a ſerpe a traverſò del ventre ſenza avere attaccamento veruno nel mezzo, coll' altra eſtremità più ſottile ſi attacca, e ſi ramifica nel fegato, o per dir meglio in un corpo glanduloſo, di figura, e di compoſizione di parti ſimile al fegato, ma di colore un poco più roſſo; il qualcorpo è abbracciato, è circondato dal medeſi mo fegato, che è di lui cinque, o ſei volte maggiore.*

Ibidem. Ita & in *Lepore marino*, quem appellat *Lumacone marino*, de quo inquit: *Le viſcere interne, come gl' arneſi tutti della generazione, il polmone, il cuore, il canale degli alimenti ſon molto, e molto ſimili, e corriſpondenti a quelle de' Lumaconi ignudi terreſtri.*

In Lepore ſeu Limaçe marino.

Pariformiter in *Limacibus Cochleatis*, ſeu propriè dictis *Cochleis: all' intorno del teſticolo ſcappa fuora un ſottil canaletto, che ſciolto, e ſerpeggiante và ad impiantarſi in un certo corpo roſſo glanduloſò ſituato, e naſcoſto nel mezzo di*

In Cochleis.

di quella maſſa che fanno gl' inteſtini ed il fegato aggrovigliati inſieme. (a)

In Canibus conglomeratas haſce glandulas comperire non licuit; fortè quòd Proſtatæ ad aliorum Animalium proportionem grandiores minorum iſtarum defectum ſatis ſupplere potuerint. In Canino genere glandulæ nullæ.

Glandularum verò humanarum Canales excretorii principio ſuo ſub Urethræ membrana altiùs demerguntur intra corpus ſpongioſum, cujus vaſis in ingreſſu ſuo proximè ad initium ambiuntur, atque muniuntur; indè membranam Urethræ internam ſubeunt, ad cujus interiora paulatim emergunt, ut totâ ferè longitudine ſua urethræ ſuperficiem excurrentes, velut anaglypticè delineati, levique dorſo prominuli apareant. Canalium a Glandulis humanis Deſcriptio.

Quô Glandulæ propior Canalis eſt, & cavitas illi major, & tunicæ ſunt conſtantiores, quò magis recedunt, cavitatis habent & roboris minus, ſed utraque in progreſſu ad finem usque inſenſibiliter exileſcunt.

Deferuntur ductu non recto, ſed aliquantulùm obliquato: Namque cum primùm ad Urethræ ſuperficiem emergunt emicantve, a ſe invicem recedere inci-

(a) *Id Ib. p.* 50. *Tav.* XIII. *Fig.* 3. *Let. F. e e e e.*

incipiunt, receduntque paulatim, mox curſu medio ſuperato iterum mutuò inclinantur, ut illorum extrema ferè ad contactum aproximentur, exiguo non niſi relicto intervallo, ſicque Canales ſinguli ſubcurvam lineam, ſimul autem elipſim prope, deſcribunt.

Canalium etiam extrema non liberè in Urethram hiant, ſed paululùm intorquentur & flexuoſa fiunt in exitu ſuo, quod maximè apparet quoties ductus comprimitur, & liquor ad exitum urgetur. Hinc maxima ſetas ſuillas etiam minores inſinuandi dificultas patienter ſuperanda, quæ in reliquo, niſi fortè ad canalis in tunicam, Urethræ trajectu, nulla ampliùs occurrit.

An fortè *meatus ille novus ſed exilis concavus, quem in homine invenit Jo: Daniel Major cum Caſp. Marchio* (a), *qui ex poroſitatibus Proſtatarum in Urethram educitur & terminatur, per quem ſeminalis ille liquor in fiſtulam ſtillat* referente Th. *Bartholino*, illorum ſit unus Ductuum, quos invêni (ut candidè fatear) nihil certi poſſem ſtatuere, cum Auctor a *Bartholino* citatus ad manus

(a) *Anat. lib.* I. *De Inf. ventr. Cap.* XIII. *De Vaſ. Defer. &c.*

nus meas nundum pervenerit, licèt Ejusdem Conſultationes Medicas aliquot viderim relatas ab altiſſimi nominis Viro Medicæ toto orbe Univerſitatis Bibliothecario, de rebus Anatomicis, Chymicis, Pharmaceuticis, Medicis optimè merito, Jac. *Manget* in ſuo, verè *Theſauro Medico-Practico.* Quatenus tamen ex *Bartholini* relatione conſtat, non puto Adverſario fortè alicui anſam dari poſſe ut Glandularum, Ductuumque Noſtrorum novitatem audeat impugnare.

Propius eſt ut Ductus Noſtros comparem Canalibus liquorem pituitoſoſeroſum ad Urethræ confinia in Uteri Vaginam deponentibus, quos in Muliere detexit *Graaffius*, (a) in Vaccis *Malpighius*, (b) & tum in Vaccis tum in Mulieribus elucidavit Caſp. *Bartholinus* (c) a *Clariſſimo Du Verney Regio Pariſienſium Anatomico primùm* (ut ipſe fatetur) *edoctus*. A Glandula nimirum ex plurimis aliis (ut *Bartholinus*) ſeu a folliculis ſubrotundis glanduloſis (ut *Malpighius* vult) conglomeratâ in Vaccis, in Mulieribus verò Similitudo cum canalibus uteri vaccinis.

a Cor-

(a) *De Mulier. org. Gen. inſerv.*
(b) *Diſſert. de Utero.*
(c) *De Ovar. Mulier. Epiſt. ad Gul. Rivam.*

a Corpore Glandoſo Proſtatis virilibus perſimili, Canales duo, in Vaccis ſatis ſpectabiles, in Mulieribus proportione longè minores, hi ſtylum, hi ſetam duntaxat ſuillam, admittentes ad Vaginæ latera emittunt, qui latô capitulô evidentique hiatu (ut cum *Malpighio*) ſeu conſpicuo & in Papillam protuberante oſtio (ut cum *Bartholino* loquar) in Vaccis, nulla in Mulieribus protuberante Papilla, ſupra meatus urinarii orificium, ſubviſcidum liquorem emittunt, quo & lubricatur, & in venereo clyſmatico opere delectabiliter inſpergitur plena voluptatis fœminarum vagina. Immo quavis comparatione aptior & accommodatior illa eſt Glandularum noſtrarum ſimilitudo cum Glandulis hiſce duabus, quas ad Leporis fœminæ vaginam, Teſtiformes appellat Jo. Jac. *Harderus*, atque deſcribit *ex albo-flaveſcentes, magis quoad externam faciem quàm internam Conglobatis ſimiles, diſſectas & preſſas humorem e ſuis porulis hìc illic reddentes albidum craſſiuſculum, qualis in non-nullis animantium Proſtatis deprehenditur, corpore tortuoſo ſub-fuſco velut epididymis utrimque ambitas, unde ductus tortuoſus ceu eja-*

Schol. Obſerv. IX. *Fig.* I. *Lit. b.*

ejaculatorius prope orificium externum interiùs inſeritur.

Traductam a *Malpighio* & *Bartholino* canalium horumce deſcriptionem, fortè nimis obſcuram ne culpes (Amice Lector) utpote ex Clariſſimis Viris excerptam, contractamque eo ſolùm conſilio, ut inſtitutam Glandularum ductuumque novorum cum illis analogiam juxta-poſitione evidentiùs demonſtrarem, utque etiam confirmem Glandulas, quas ſuperiùs expoſuimus Urethræ Diſgregatas cum Glandulis & canaliculis, quibus Vagina, totuſque Uterus irrigatur, analogas eſſe.

Quibûs jam conſtantibûs probatâque aliunde a præcitatis Authoribus harum Vaginæ Glandularum cum glandoſo mariùm corpore ſeu Proſtatis comparatione: facilis Tibi largirer (Lector Prudentiſſime) ut ſi fortè Glandulis noſtris (ut novis rebus ſolemne eſt) novum procudere nomen ad clariorem intelligentiam utile cenſeas, illud ab inſtituta analogia eruas, & *Aſtites conglomeratas*, ſeu *Proſtatas minores* denomines, quibus liquor tum muliebris tum virilis Glandoſi corporis liquori analogus excernatur, velut qui inſenſibiliter percolando Urethram irroret ne exſiccetur, ſub-

Cum Proſtatis virilibus.

Et indè Cognominatio.

Uſus.

ſubliniatque ut ab urinæ ſeminiſque acrimoniâ muniatur: impetuosè autem projectus Urethram ſuaviſſimè afficiat in coitu. Ut ideò ſuperiùs expoſito Urethræ Diſgregatarum uſui, ſimilis non modò, ſed idem omninò Conglomeratarum apareat.

Qualis Diſgregatarum omninò.

Ne verò per Urethræ longitudinem iſtæ fuerint (illarum more) diſperſæ, per tractum videlicet a Proſtatis ad uſque ubi nunc aperiuntur earum canalia, ſeu (quod idem) ubi pullulare incipiunt Diſgregatæ; prohibuit fortaſſe neceſſitas compreſſionis, cujus ut indigæ erant, ita obtinendæ minùs aptæ, hujusmodi in tractu, ubi fiſtula urinaria ſuperiùs corporibus nervoſis partim ſejuncta, partim laxiùs unita, inferiùs ſpongioſo corpore multo, velut tomento obſarcta, compreſſionibus aut deſtituitur, aut cedere ſatis ad glandularum expreſſionem non poteſt. Colligi itaque ac velut confluere illuc omnes debuere, ubi potentiam muſcularem oportunè advolutam ſibi poſſent nanciſci. Sicque major colligi humoris copia, unoque jactu emitti poteſt quà major fortè eſt ejuſdem, & quidem copioſioris neceſſitas, uti ſuperiùs conjectabamur in Brutis; in illo videlicet freto, in quod ab Acceleratoribus

Ratio.

Vid. pag. 54.

bus ſuis anguſtatur Urethra, ut illac arctiùs fluente ſemineo, urinoſoque liquido, faciliùs poſſet exuri.

Quoniam verò liquor iſte fluxilior tenuiorque eſſe debuit ut longiuſculo exiguoque canali tranando par eſſet; minus congruum Naturæ fuiſſet glandulosa mole Proſtatas augere, ab iisque liquorem iſtum petere, a quarum propria textura non niſi viſcidiuſculus humor ſecerni conſuevit; niſi fortè id in canibus præſtitum, quibus proſtatarum liquor, analogo Conglomeratarum adſtitum liquori fortè permixtus, videtur longè ſeroſior.

Cum hiſce uſibus liquidum iſtud inſerviat, ut vel ſola rei expoſitione, ac contemplatione ex inſinuatis Capite præcedenti liquet, facilè intelliges rerum Mechanicarum & Anatomicarum peritus, in hoc opere tale eſſe Naturæ artificium debere, ut paſſim, lentè ac ſenſim flueret hoc liquidum in ordinario ſtatu, & data occaſione impetuoſiùs proſiliret; ut de Diſgregatis diſſeruimus ſupra.

Ut ergo paſſim in Urethram flueret hoc liquidum, nullam emiſſario Canalis muliebris aut virilis appoſuit carunculam aut papillare impedimentum, ne cùm

Nulla ad canalis exitum caruncula.

E

cum aſſiduus, aut ferè aſſiduus ſaltem eſſe debeat liquoris proventus, in aſſidua, vel ferè aſſidua actione Potentias detinere cogeretur: quod cum nimis implicitum evaderet, non oblitæ machinarum ſuarum, ſed bene-ſapientis Naturæ fuit Carunculam, aut Papillam deficere: oppoſita autem ratio voluit Carunculà Deferentium orificia, Papillis Proſtatarum canaliculos muniri. Quamquam & illud Aſtitum conglomeratarum canales ab hoc objice potuit liberare, Urethræ neceſſaria nimiùm æqualitas papillæ elevatione facilè lædenda.

Sed ejus loco aliæ reſiſtentia

Harum reſiſtentiarum loco remoras plures habet hoc liquidum in ſe ipſo, in Glandula, in canali ſuo: in ſe ipſo propriam viſciditatem; in canali extenuationem parietis, & cavitatis ſuæ, canalis aſcenſum, obliquitatem, extremique intortionem; in Glandula minorem cedentiam & compreſſibilitatem, qua fit ut difficiliùs urgeri introrſum tota glandula ſingulique acini poſſint, unde alioquin promoveri ſecretiones & ſecreti liquidi fluxus non eſt ut hìc loci probemus.

Ut colligatur tantisper liquidum.

Hæc inquam omnia facilè puto ut in ordinario ſtatu ſenſim & lentè fluat hoc liquidum. Eidem uſui Canalis Vaccini

cini emiſſario appoſita eſt Papilla, velut canalibus Deferentibus Caruncula; & canaliculis Proſtatarum in Urethram hiantibus Papillæ, ne vel noxiè vel inutiliter prodigeretur liquor; ſed oportunis temporibus cumularetur, quibus abundanti profuſione uſum cui deſtinatur meliùs præſtaret. Huic uſui cui Papilla in vaccinis Canalibus, ſufficit liquoris viſciditas; & exilitas exitûs in Canalibus muliebribus, recenſitæque reſiſtentiæ in Virilibus. Quæ propter copiam liquoris nitentis in emiſſarium in Vaccis fortè minùs ſufficiebant; ſed aliud impedimentum, Carunculæ ſcilicet, fuit moliendum.

Hæ reſiſtentiæ utcumque leves aliquo ſaltem momento ſunt ſuperandæ potentiis ad Glandulas & Vaſa oportunè adhibitis; his inquam potentiis, eôque artificio applicitis, ut ordinariò velut otientur, & levem ſaltem actionem exerentes, hujus liquidi ſecretionem, excretionemque lentè procurent. Datâ verò neceſſitate agant validiùs, quin etiam aliquando validiſſimè. Potentiæ ſunt.

Mites ita-dixerim potentiæ ſunt Arteriæ & Vaſa Glandulæ diſtributa, eidemque & Canali adjacentia. Nimirum a vaſis proximis ſurculi in plures diſcer-

pti ac ferè reticulati ſingulos exteriùs acinulos irrigant, ac intercepta acinulis ſpatia ſubeundo Glandulæ meditullio altiùs infiguntur.

Arteriæ. Adjacet verò Glandulæ Arteria, corpus Urethræ ſpongioſum irrigans, quæ poſtquam Glandulæ ramos diſtribuit, ejuſdem regionem præter-greſſa, duplici ramo in corpus ſpongioſum inſeritur. Ductibus excretoriis accumbunt Vaſa ipſa Urethræ corpus ſpongioſum contexentia, quæ ideò providè canalis exortum ſtatim arctiùs complectuntur, reliquum comitantur adjacentes.

Cum Venis ſupra Glandulas reticulatæ. Vaſa itaque liquidum Glandulæ inferentia non ad nutritionem ac vitalitatem modò, aut ad ſecretionem quomodo-libet illud ſuppeditant, ſed ad liquorem ſecretioni diſponendum, ſecernendum, ſecretumque jam promovendum in fluxum ad proportionem parvitatis in Glandula & liquore ſuo aptiſſimè comparantur. Nimirum Glandulam involvens exiguus ille vaſculorum reticulus quantùm (ad proportionem exiguæ etiam Glandulæ) mutuis fluentis intra ipſum ſanguinis incurſibus & alliſionibus, & per conſequens divulſionibus a cohæſione ſua, ad ſeceſſum partis a parte, ſeu ad ſecretionem

diſ-

diſponat, patet ex iis, quæ de reticulorum vaſcularium uſu in animalibus ſolidè non minùs quàm facundè diſſeruit Vir prodigiorum in Mechanico-Medicis *Laurentius Bellinus*.

Contractio inſuper & diſtractio Arteriarum præcipuè, tum quæ Glandulam ſubeunt, tum quæ ad Glandulæ contactum excurrunt, niſu diſtractionis ſuæ vel Glandulam totam ad contactum poſitam, vel unam-quamque Glandulæ partem, inter duas quaſque Arteriolas comprehenſam, alternè comprimant, alternè liberam a compreſſione relinquant, ac alternè liquido ſuo impleri Glandulæ utriculos, alternè ſecretum in ſinulis liquidum agant in canales ſuos, & extra canalem derivent. Glandulis adjacentes per eaſque diſtributæ.

Inſuper adhærentia per Canalis longitudinem, aut transverſè, ad initium præcipuè, vaſa ſpongioſum Urethræ corpus contexentia, cum diſtractilia ſint & contractilia, erunt & ipſa potentiolæ quibus liquidi fluxus & exitus promoveatur. Potiſſimùm contra impedimentum viſciditatis, neceſſarium fuit potentiolas ſeu motus diſtribuere ſeu digerere ad ſuperficiem externam canalium, quibus canalis ſectim premeretur, ac urgeretur introrſum, ut tum a mutuo Urethræ Vaſa.

contactu, tum a contactu parietum divelleretur liquidum, & ſingulæ moles liquidi agantur vel ad immiſſarium, vel ad emiſſarium, ut indè a liquido ſuperaffluente ex immiſſario versùs emiſſarium, immo & extra determinetur, quà patet exitus.

In minutio reſiſtentiarum. Rurſum ut in hoc canali fluxui remoram facit cavitatis extenuatio, ſic facilitatem aliquam præſtat membranarum gracileſcentia.

Rurſum ut conica vaſculi figura impedimentum efficit ad fluxum, ita facilitatem præſtat inæqualitas momentorum quibus canalis præditus eſt: neque enim momentum ſuum denegandum eſt membranulis canaliculum conſtituentibus, cum inſtructæ ſint facultate contractili. Cum enim craſſiores ſint tunicæ ad inmiſſarium, ſeu propè glandulam, tenuiores ad extremum, ſeu emiſſarium, fiet, ut ad inmiſſarium canalis major ſit facultas contrahens, minor versùs emiſſarium: Quare contentum liquidum ſenſim urgebitur ab inmiſſario versùs emiſſarium, nempe a loco ubi craſſities villorum major eſt, atque ideò major validitas facultatum contrahentium, & momentum earumdem majus, ad locum ubi villorum craſ-

ſities

ſities minor, ideòque momenta contractionis minora.

Quo-ad canalis intortionem probabile eſt eo tempore, quo major exigitur liquidi copia, ex obliquo directum fieri, diſtenta nimirum Urethrâ.

Momentoſa autem magis potentia muſculus eſt, qui valido involucro glandulas utrasque ambit, atque complectitur, quem ſubſequente mox Capite exponam; poſtquam candidè profeſſus fuero quod hoc ipſo momento contigit, ſinè publica profeſſione neutiquam prætermittendum: Advolutus muſculus.

nec ſi miſerum fortuna Sinonem.
Finxit, vanum etiam, mendacemque improba finget. *Virgil. Mar. Æneid. l. II.*

Huc uſque jam planè deveneram; cum amiciſſimus unà ac Clariſſimus D. Joſeph. *Paſchalis* me perhumaniter moniturus, retulit *Monſ. Mery* (Accuratiſſimus ille, & exactiſſimus Pariſienſium Anatomicus, nunc Regii Noſocomii (*l'Hotel Dieu*) Chirurgus primarius) *a auſſi decouvert dans l'homme ſous la partie virile deux petites glandes de la groſſeur d'un pois. Elles ſont placées audesſous des muſcles accelerateurs, & éloignées du corps des Proſtrates d'environ un pouce.* Officioſum benevolentis Viri monitum non *Journal de Scavans Tom. 12. A. 1684.*

maximè gratum habere non potui utpote quo aut negligentis aut plagiarii notam, quæ mihi (ut candido cuique) ſemper teterrima viſa eſt, longiûs declinarem; quoque palam profeſsò eum me hominem præſtarem, qui agere omninò velit ingenuè.

Pro hoc utique candore, pari mihi libertate liceat apertè dicere, me glandulas iſtas ex me non inveniſſe modò, ſed & qualîs ſint naturæ (conglomeratarum videlicet) quo canali, quôque liquore præditæ, quos uſus, quibusque mediis præſtent, quibus, qualesque in brutis adſint, quibus, qualiterve denegatæ ſuppleantur analogis inſtrumentis, expoſuiſſe; ut quibus præcipuè morbis obnoxiæ ſint mox enarrabo: quibus ſanè deſideratis, næ ego glandulas illas a me inventas, aut ſatis perſpectas habuiſſem.

CA-

CAPUT IV.

De Glandularum Urethræ Conglomeratarum muſculo.

AST ubi difficilioris momenti occurrit reſiſtentia, validioris quoque momenti potentiam applicari animalium mechanices, ſeu mechanicæ peritiæ plenum artificium naturæ voluit. Hæ potentiæ illæ ſunt quæ majori vigeant momento contractionis, nec ſola inſtructæ ſint facultate contractionis naturalis, ſed etiam contractionis ſuperadditæ; nempe inſtructæ ſint villo contractili, ſeu fibra motrice carnea, quibus facultates contractiles conſtituuntur. Id ſapientiſſimè factum jucundiſſimè obſervamus in canalibus conicis, in quibus liquidum de ſe ipſo iners fluere debeat a latiori inmiſſario in canalem vel emiſſarium anguſtius; ad ſuperandam occurſuum reſiſtentiam ad ſingula canalis ſegmenta, vel ad inmiſſarium, potentia muſcularis ad coni baſim apponitur, velut ad baſim ſeu inmiſſarium coni, ſeu conici canalis arterioſi

Muſcularis Emboli neceſſitas ad fluidorum motus.

rioſi muſculus cordis conſtituitur, cujus vim, agendi modum, & æquilibrium; in sê, ad canales, & liquidum ſuum doctiſſimè Præclariſſimus *Baglivius* expoſuit.

Tract. de Fibr. motr. & morb. ſpecim. l. 1.

Ad ſecretiones & excretiones.

Et quum hæ reſiſtentiæ potiſſimùm occurrant ad ſecretionem, & excretionem liquidi per glandulas, & canales ſuos, induſtre Naturæ artificium potentias muſculares ubique adhibuit, quibus a glanduloſo corpore exprimeretur in inmiſſaria ſeu canaliculos excretorios, ex his urgeretur in canalem communem, tandemque in emiſſarium, ſicque ſuperaretur quidquid reſiſtentiarum adeſt in glandula, in canali, in contento liquido. *Exemplum luculentiſſimum & veluti maximam glandulam patentem oculis habes in Inteſtinis ex Bellino:* Machinam comprimentem in abdominis muſculis, qui momenta ſua cum dirigant ad ſingula puncta contentæ cavitatis, aguntur quòque vi contractionis ſuæ, vigentque ſuper inteſtina tanquam ſuper magnam glandulam, & in Lactea agunt, & per ipſa tanquam per canales excretorios urgent; Ut magna hæc ſecretio in magna hac glandula muſculoſis planis plurimis efficitur, ſic reliquæ in animalium corpore ſecretiones

Opuſc. de mot. cord. de ſerm. & gland.

nes in glandulis muſculoſa fibra perficiuntur.

In iis verò præcipuè ſecretionibus, quibus fluidum iners ſeparatur, quasque repentinis quibusdam motibus aliquando fieri uberiores oportuit, muſcularem potentiam præfecit. Cum enim tale fluidum non ſit ſufficienti inſtructum impetu ut poſſit sê-ipſo fluere, debet eundem aquirere a compreſſione extrinſeci, ideoque ab aliquo contractili, & cum major datis temporibus emunctio liquidi neceſſaria ſit, ideò major contractio comprimentis involucri, quare involucrum illud non ſolùm naturali, ſed etiam ſuper-addita contractione contractile ſit oportet. Faſciculus autem naturali, & ſuper-addita contractione contractilis quid aliud eſſe niſi muſculus poteſt? Hinc cum ſalivæ uberior proventus inter maſticandum ſit neceſſarius, ejuſdem glandulis & ductibus admovit potentias, quæ inter maſticandum agitantur quas exponit Caſp. *Bartholinus*.

Liquidorum præſertim pigriorum.

At quid ego de muſculis ſuper inteſtina, & ſupra glandulas reliquas vigentibus? Quid ego de glandulis ſalivalibus? ut oſtendam neceſſitatem muſculi glandulis noſtris ſuper-imponendi. Exempli

Exiſtentia ad glandulas Vaccarum vaginales.

empli certiſſimi, & plenæ analogiæ loco ponam quod de glandulis ſuis vaginalibus habet Caſp. *Bartholinus*; Nimirum Præclariſſimus Auctor (a) *haſce glandulas* (Vaccarum vaginales) *fibris carneis peculiaribus & propriis undique inveſtiri obſervavit: quia humor externi non poteſt niſi protuberante papilla, proſpexit Natura glandulæ fibris carneis, quibus in actu venereo, cum liquor excernendus eſt, premerentur glandulæ, ut papillæ protuberarent. A Sphinctere veſicæ videntur hæ fibræ carneæ oriri, quem-ad-modum & Virorum Proſtratas a muſculoſis fibris ſuper-impoſitis a Sphinctere veſicæ oriundis contrahi aſſerit Regn. De Graef.* Quin & glandulas illas, quas in *Talpa* Proſtatas conglomeratas, aut iis ſaltem analogas ex *Rayo* retulimus ſupra (b), muſculari involucro minimè deſtitutas obſervo ex hiſce met Auctoris prælaudati verbis (c): *Cumprimis verò conſiderari dignum omnes has partes carnoſis tegumentis muniri, ex quo manifeſtum ſit contrahi eas,* *atque*

(a) *Epiſt. ad Gul. Rivam De ovar. mulier.*
(b) *Cap. 3. p. 73.*
(c) *Synopſ. Hiſt. Quadrup. Tit. Talpa.*

atque ſic ſeminalem materiam propellere &c.

Præter neceſſitates itaque quas communes cum glandulis omnibus conglomeratis & præcipuè cum ſalivalibus habent noſtræ conglomeratæ, cum uteri conglomeratis glandulis *Malpighianis* aut *Bartholinianis* peculiarem habent neceſſitatem mechanicam ut eôdem, quo illæ, modò, iisdemque rationibus carneos ſibi lacertulos, fibraſve muſculares adſciſcant, qui naturali contractione, & compreſſione ſua-liquidum a glandula ſenſim exprimant, & per canalem ſenſim urgeant: contractione verò ſuper-addita liquidum glandulæ & canalis velut embolus in ſyringa impetuosè projiciant.

Muſcularis iſte faſciculus portio eſt muſculi urethram conſtringentis, quem *non-nulli* apud *Galenum* (a) *appellant Sphincterem, ſeu ſtrictorem*; utì poſt *Galenum Veſalius* (b), *Valverda* (c), & Veſaliani cæteri, qui pro genuino veſicæ Sphinctere attulerunt: *Riolanus*

Muſculus ad Aſtites conglomeratas.

(a) *Anat. Adminiſt. lib.* VI. *cap.* XIV.
(b) *Anat. de Corp. Hum. Fabr. lib.* II. *Cap.* L.
(c) *Lib.* XI. *De Muſc. Cap.* XXXIV.

nus (d) Sphincterem veſicæ externum, *Lindanus* Spleniatum, ſeu Faſcialem apellat.

(d) *Enchyrid. lib.* V. *cap.* XIV. *de muſc. veſ.*

CAPUT V.

De Morbis Glandularum Urethræ, & ſpeciatim Gonorrhæa.

Occluſio â natalibus, & aliò apertio.

UT pars organica quælibet, millenis obnoxia læſionibus eſt, ac cruciatibus exercetur Urethra virilis, ſuo, vel partibus aliis, præſertim viciniſ communi vitio. Præter-naturali geneſi meatus ad Glandem imperforatus contingit (a), ut præter Veterum monumenta obſervat Goth. Sam. *Poliſius* (b); loco inſueto aperitur, ut apud Th. *Bartholinum* (c), Convulſione tenditur, vel retra-

(a *Joh. à* Meckren *obſ. med.-chir.*, *Melch.* Fribe *obſ.* 98. *miſc. med-phyſ. A.* 3 Beniven. *c.* 9., Bierling. *obſ.* 204., *Ephem. med. phyſ. Germ.*, *Gerh.* Blaſius *obſ. med.* 5.

(b) *Obſ.* 106. *Miſc. Med-phyſ. Dec.* 2. *A.* 9.

(c) *Anat. Ref. l.* 1. *c.* 24., Blancard. *inſt. chir. par.* 2. *cap.* 14.

trahitur (d), etiam ſubitaneè (e), Paralyſi enervatur, Phlogoſi exuritur; Pruritu vexatur, Tumore tunicarum, quandoque crudo, quandoque purulento (f), aliquando etiam carcinomatoſo, vel Sphacelo afficitur; Acri ſuomet liquore, urinâ, purê, vel calculô excoriatur pertranſeunte; eodemque inhærente (g), vel innato (h) vel ſabulô (i), tumefactione, tumore, hyperſarcoſi, vaſorum interiorum varice ut mihi obſervare contigit ad radicem urethræ, & Petr. *Bayro* (k), & circa rugas Vaginæ uteri Steph *Blancardo* (l): Sanguinis grumo (m), purê craſſo, vermibus (n), extraneiſque (o) diverſi

Convulſio, Paralyſis, Inflammatio. Tumores varii Sphacelus Excoriatio unde tubercula Obſtructio.

(d) *Joh.* Schmid.
(c) *Petr.* Sorbait.
(f) Hippochr. *Aph.*
(g) *Nic.* Tulpius obſ. *l.* 4. *cap.* 34. *Jo.* Burgius, *Theoph.* Bonetus.
(h) *Laur.* Ferhr, Helvig. & Schroeckius *Dan.* Winclerus.
(i) *Jo.* Schmid, Dodonæus, Schenckius.
(k) *Pr. l.* 5. *c.* 3., Severinus, *med. Eff. pag.* 80.
(l) *Inſt. Chir. part.* 3. *c.* 20. *de Hæmorroid.*
(m) *Amat.* Luſitanus *c.* 6. *cur.* 19., Wincl., *Jo.* Schmid., *Mel.* Frib.
(n) Dodon. *Ann. ad c.* 77., *Ant.* Beniv. *obſ. mir.*

ſi (p), & abſoni etiam generis (q) (de quibus fusè Ephemerides, & Compilatores) obſtruitur. Externis, puta tumoribus, hæmorroidibus, aut duris fæcibus, penis diſtenſione, phymoſi, hydrope, inflatione (r) premitur, anguſtaturque: Vulnere (s), aut contuſione (t), læditur. Ab externâ intemperie communia cum Pene patitur. Ab initiò admiſſis irritatur, inflammatur, eroditur. Vaſculorum ruptione, vel eroſione, Hæmorragiâ, ſanguineo mictu (u), ac tincto ſemine, partium ſeminalium vitio

Compreſſio.
Vulnus.
Contuſio.
Intemperies.
Mictus ſanguineus.
Gonorrhœa.
Ulcus.

mir., Fernel. *Path. l. 6. c.* 10. *Schol.* Holl. *ad c.* 50. *l.* 1. *de morb. int.* Cardan. *com. in Aph* 76. *Sect.* 4. *Hipp* Rondolet. *hiſt. aq.*, Ronſæus *epiſt. med.* 10.

(o) Molinett. *diſſ. Parth. l.* 6. *c.* 8.

(p) *Plumbo Ol.* Borrich., *pilis plumbeis Sigis.* Elsholt., *globo ſclopet Act. phil. Angl. m. oct.* 1668.

(q) *Polyp. viv.* Schultz., *Animal. millep. ſimil.* Duret., *Aſell. viv.* Jacob., *Inſet. viv. nigr. form. ſcorpionis Th.* Barthol. *hiſt. anat. cent.* 4. *&c.*, *Flatu Wolfg.* Wedel. *in epiſt. Th.* Barthol. *Ol* Borrich. *officulo Th.* Barthol., *pilulâ purgante Id*; *Pilis Dan.* Horſt. *epiſt. ad Jo.* Barthol. *Andr. Cnœff.*, *David.* Spielemberg.

(r) Dodon., Schenckius.

(s) *Regn. de* Graaff. *de virg. org. Jo. Huybrechz.*

(t) *Apud* Galenum.

(u) *Luc.* Hannæus.

tiô Gonorrhœis inficitur: His aliiſque cauſis ulcere, fiſtulâque perfoditur; unde urina loco non convenienti emittitur (x); aut poſt ulcus coaleſcentia meatûs contingit (y). Fiſtula. Coaleſcentia.

Meæ autem operæ pretium eſt illos duntaxat morbos exponendos aſſumere, qui à Glandularum exaratarum vitio pendere propiùs videbuntur. Et quidem, cùm partium omnium morbi à ſolidi, ac liquidi ejuſdem partis læſione dependeant (quod nuper illuſtravit Illuſtriſſimus ipſe Summi Antiſtitis Medicus, & Medicorum primus Antiſtes Jo. *Lanciſius* (z) ità iſtarum morbi ab horum vitiis omnino petendi. Proprii Glandularum Urethræ.

Ratione igitur ſolidi, cauſa morborum in hiſce glandulis erit quidquid glandularum quantitatem continuam vel diſcretam, vel internam ſtructuram, aut libertatem canalium, aut motum potentiarum ad glandulas lædere poteſt. Ratione fluidi quidquid liquidum ha- In Solidis

F rum

(x) *Th.* Bartholinus *hiſt. c.* 4. *p.* 422., Salmuth. *cent.* 1. *obſ. med. obſ.* 60. *nu.* 39. *Euſthath.* Rudius *l.* 2. *c.* 53., *Am.* Luſit. *cent.* 2. *cur.* 21.; Platerus *obſ. c.* 792.

(y) *Jo.* Wierus.

(z) *De morte ſubit. lib.* 3.

rum glandularum minuere, augere, incraſſare, ſolvere, acuere, aut conſimiliter modificare aptum eſt.

Natales

Eaque vel à primordiis, vel adventitia. * Nimirum velut è partibus geminatis alterutra, ſic è multiplicatis aliquæ [naturâ ſubindè in organis præſertim genitalibus ludente] deficiunt, exceduntve. Primum in Conglomeratis (a), ſecundum in Disgregatis contingit. Major minorve moles evenit, aut proportionata reliquis partibus, aut improportionata: ità denſitas, aut laxitas; ità canalium conformatio; ſic & potentiarum appoſitio varia, non ſinè aliquo, levi ſaltem, officii detrimento. Aberrare etiam poſſe quis dubitet Adſtitum canales? quem-ad modum ductus ſalivalis apud *Kerkringium* Spicileg. Anat. obſerv. 68.

Adventitii.

Externi.

Adventitiæ ſolidorum læſionis aliæ ab externis ſunt, aliæ ab internis. Primæ in re præſenti ſunt vulnera, contuſiones, ſtimuli. Secundæ ſunt Glandula-

(a) *Fortè in* Andria Martel *apud Georg. Abrah.* Merchlinum, *&* *in aliquibus ex Hermaphroditis; fortè etiam in illo, cui à nativitate, Penis pro ano fuit nullâ cum veſica urinaria Wolf.* Striegel. *in litt. Viennâ datis ad* Sachſium.

larum congeſtiones, vel exeſiones, canalium corrugatio, compreſſio, obſtructio, potentiarum adjacentium paralyſis, vel convulſio, quatenus ab aliorum ſolidorum vitio, aut à liquidis pendent laxitatem nimiam, aut rigiditatem, aut conſimilem intimioris ſtructuræ labem glandulis, aut partibus adjacentibus lentiùs citiùsve inducentibus.

Vulnere pariter ac contuſione continuitas, ità ac ſtructura, vulnere autem quandoque magnitudo etiam, & numerus læditur. Porro ex vulnere harum glandularum præſertim Adſtitum, atque earumdem canalium non nulla eveniſſe incommoda poſſunt; tùm illa maximè quæ vulneratis Glandulis (b), earumque Lymphaticis (c) atque in Salivalibus præſertim ſuperioribus, & lachrymalibus contingunt; quod ultimum evenit magno *Hildano* (d) curanti, ſed iſta neſcienti, quodque clarè exponit Joh. *Munnicks* (e). Nempe ut glandularis lympha paſſim extillet, præſertim Vulnus

(b) *De conglobatâ inguinali Frider.* Ruyſch. *obſ. anat. Chir., Fabr. ab Aquapend. l.* 1. *de. tumor. cap.* 13.
(c) *Jo.* Muys. *in Prax. chir. ration.*
(d) *Cent.* 5. *obſ.* 80.
(e) *Chir. ad prax. hod. adorn. cap. de vuln. fac.*

in ejuſdem partis motionibus, fonticulo difficilè exſiccabili, & aliquando in fiſtulam abeunte; ut ex ſauciato ſalivalium altero in Milite Regiminis *delle Guardie* unà cum Domino *Panealio* obſervabam. Hæc tamen non adeò timenda in Adſtitum earumque canalium vulnere, quàm ſit in ſalivalium, propter glandulæ canaliſque exilitatem, & liquoris cum paucitate viſciditatem; licèt inflammatâ tùm parte affluxus major fiat. Aut poſt vulnus coaleſcit, occluditurque meatus, canalis reliquo ad uſque glandulam facilè in folliculum, ſeu ſacculum dilatato. Chirurgis præſertim Lithotomis in ſectione pro calculo veſicæ, & magis urehtræ in hoc ſitu has glandulas, hos canales propono.

Contu-ſio. Contuſione fibræ, ac nervi tum glandularum, tum partium appoſitarum diſtrahuntur, diſtorquentur, laxantur, franguntur; vaſa comprimuntur, dilatantur, & contorquentur, aperiuntur, lacerantur; unde liquores univerſales, & particulares glandularum impediuntur, effunduntur, ſtagnant; unde tumores, inflammationes, ſphaceli, ulcera, glandulis, partibuſque vicinis non difficilè ſuper-venient.

Perfricatione fibræ tum nerveæ, tum muſ-

muſculares motitantur, & ad frequentes contractiones, oſcillationesque adiguntur; adeòque tubulis ad glandulas deferentibus, aut eferentibus irregulariter percuſſis, liquores mox vividè pelluntur, mox otiosè relinquuntur, mox ſtrictè impediuntur in fluxu ſuo, ſemper tubuli, ac præſertim ſinuli fibrarum, & glandularum diſtenduntur, cùm repetitis potiſſimùm percuſſionibus liquores majorem in parte motum concipiant, atque rareſcant. Hinc multiplicato, ac adaucto confertim motu ad partem, impeditoque paſſim regreſſu pars velut inflammatur, exprimitur affatim liquor Glandularis, etiam quandoque ſanguineus. Sed & crebrioribus diſtenſionibus vaſculorum ac ſinulorum, tum fibræ tum glandulæ cavitas laxatur, diſtorquetur, inmutatur; Unde laxitas, attritio, aut conſimilis perverſio in vaſis, textuve fibroſo Glandularum, aut potentiarum adjacentium, quâ ſtagnationes ac impedimenta fluxûs humorum in glandula, & canali fient (a); aut in cribris glandularum aut in canalibus, quâ nimia fiet harum Glandularum expreſſio; adeòque & majori preſſione, &

Exercitationes violentæ ad partem.

(a) *Veluti fit nodus virgæ Ioh.* Ionſtom *Syntbagm. Med.*

& majori copia liquidi extendentur tum ſecretoria tum excretoria Glandularum. Quam-ob rem ab hoc fonte nimiæ oſcillationis æquè nimios effluxus ſeminales, aut ſemini-formes è glandulis etiam urethræ, ac impotentiam, tum à nimio coitu, (b) tum à diuturnis equitationibus (c) fieri poſſe autumarem. Prioris exemplum habes in Juvene maſtuprante apud Balth. *Timæum.* (d) Secundi cum utroque vitio apud Jo. Jac. *Manget*, in conſultatione pro Nobiliſſimo: *Penis Flacciditas cum aff. hypoch. &c.* (e) Utriuſque ſimul apud Jo. *Fortem*, *conſ. vaſor. ſem. imbecil.* (f), & *conſ. diffic. erect., aren. mict.* (g) &c.

Interni. Srimulus. Conſimilia contingent à ſtimulo conſimiliter, licêt validioribus momentis, operante, validum tremorem, & ſubti-

(b) *Utrumque ab hac. cauſá in Nob. Juv. Joa.* Fortis *loc. Infrá cit. con Ignav. ad Ven. B. Jac.* Fontanus *conſ. 2. pro Nob.*

(c) *Vid. Hip. de terr. aq. & loc.* In Schytis.

(d) *Cons. med. l. 3. caſ. 49.*

(e) *Bibl. med T. 2. lib. IX. lit. I. Impot. vir.*

(f) *Conſ. & reſp med. T. 1. cent. 4.*

(g) *Id. Ib. & Gul.* Ballon *conſ. med. l. 3. cons. congr. impot.*

tiliſſimarum partium excurſum per eorundem filamenta inducente: Unde vel rigiditate ſuſpendet, vel contractione validâ, vel maxima nervorum ſuccuſſione promovebit ſecretionem; & tandem attritis non ſolùm, ſed & eroſis filamentis laxitatem, ſtagnationes, exeſiones inducet, ut patet à ſuperiori Paragrapho, & à naturâ ſtimuli. Stimulum ad glandulas noſtras poteſt efficere calculus, vel in eadem urethra, vel etiam in veſica, qui velut in Glande dolorem ac pruritum, ſic etiam totà urethrà irritationem ac titillationem poteſt efficere; ità arenulæ grandiores, urina acris, vel per ſe, vel per medicamenta acria, præſertim cantharides, injectiones erodentes, & conſimilia. Compreſſio.

Adjacentium quoque diſtenſio nimia vel morboſa. Nimia ut in ſupra-dictis de nimiæ ad hanc partem oſcillationis cauſis, difficilique fœcum egeſtione; Morboſâ, ut priapiſmoide corporum nervoſorum tenſione, eorumque, Glandis, Veſicæ, Ani inflammatione (h) vel quavis lædente ad contactum glandula-

 rum

(h) *Hipp. 5. aph. 63.*

rum, vel canalium tumiditate; vel excreſcentiâ, (i) vel extraneo hujus-modi.

Porrò liquoris vitium in glandulis tum Adſtitibus, tum Disgregatis præcipuum erit defectus aut exuberantia, craſſities aut diſſolutio, hebetudo vel acrimonia.

Defectus. Defectus vel à defectu hujus liquoris in toto, ut in nimia humidi abſumptione à diſpeptis iiſque peculiaribus; præſertim calefacientibus, calida & ſicca aeris conſtitutione; aut glandularum exilitate, vel defectu à natalibus (k), aut inminuto, ablato, depravatove per flacciditatem, vel tenſionem, paralyſim, vel convulſionem potentiarum elatere naturali vel ſuperaddito, uti quæcumque Penis flacciditatem poſſunt efficere apud Mich.Ethmullerum (l); aut exhauſtis à nimia venere, exercitationibus (m), ſtimulis (n), aut ſtranguriis humiditate ſua viſcicà, qua obliniuntur glandulis; Aut injectionibus adſtringentibus, impedi-

(i) *Ut in canalibus ſalivalibus obſervavit Steph.* Blancardus *Inſt. Med. l.* 12. *atque ego etiam in milite regiminis Pedemontani Pedeſtris cùm D. Scanzio obſervabam.*

(k) *Pag.* 82.

(l) *Colleg. Pract. ſpec. de morb. vir. & mulier.*

(m) *Pag.* 85.

(n) *Pag.* 86.

pedimento obſtructionis, vel compreſſionis, Caſum habetis apud Bened. *Sylvatium*(o); Aut liquoris debili appulſu, improportione cum ſecretoriis, vel coagulatione. Velut defectûs ſeminei liquoris ememplum habetis apud Jo. *Fortem* (p); A rarefactione (q) à debilitate facultatis animalis per nimium coitum apud Bened. *Sylvatium* (r); à Faſcino, & ab aff. hypoch. *Id. Ib.*

Defectu humoris oleoſi urethram lubricantis, læſam urethram, cum ardore urinæ, ſemenque non ita lubricè, citèque ejaculatum iri animadvertit jam pridem *Galenus*, & ipſe confirmat Jo. *Riolanus* (s), pluresque a ſe viſos aſſerit taliter affectos, victu humectante, ſemicupiis, & injectionibus olei amygdalarum dulcium ſanatos. Ex hac cauſa in pluribus affectu quopiam præcipuorum viſcerum inflammatorio, & febri acuta, aridove maraſmo etiam ſenili defunctis, corii ad ignem exſicca- Incommoda.

(o) *Cons. & reſp. med. cent.* 3. *De Dyſur. pro. Nob. Angl.*

(p) *Cons. & Reſp. Med. T.* I. *Cent.* IV. *Pen. flac.*

(q) *Id. Ib. Ignav. ad ven.*

(r) *Cons. & reſp. Med. cent.* 4. *de tard. ſem. ejac. pro nob. vir. Feder. Mart.*

(s) *Enchyr. Anat. Pathol. l.* 2. *cap.* 36.

ti inſtar, exſuccam aridamque urethræ ſuperficiem internam obſervavi. Nec non & ulcera fieri poterunt in urethra, difficiliùs quidem, ſed eodem modo ac in veſica, ex defectu uliginis etiam ſuæ, adfuncto præſertim acri ſuper-fluente. Quin & ab ejus modi liquore deficiente, aut etiam in ſalibus ſuis, & craſi malè qualificato depravari venerem, inertemve fieri poſſe, quem-ad-modum ex deficiente alteratâve ſalivâ depravatur guſtatus, ac apetitus minuitur, opinarer ex analogia harum cum alterius generis glandulis.

Depravatione.

Augetur quantitas, aut copia hujus liquoris in toto, ut per euchyma, eorumque certa quædam alimenta; aut majori glandularum proventu naturali, velut in pluribus obſervavi; aut valido ſanguinis impetu, fortè etiam cum minùs facili regreſſu, uti contingit ſupino corpore, facilique hujus liquoris ſeceſſione, quod in melancholicis præſertim evenit; Obſtructione, aut compreſſione venarum; Stimulo; Preſſione, vel actis animi inſtinctu ad glandulas potentiis, vel adjacentium diſtenſione nimiâ, vel morboſâ: vel earundem glandularum laxitate.

Ab auctâ quantitate

Ab hac copia diſtendi dolorificè glandu-

dulas præſertim Conglomeratas, cum difficultate mingendi; diſtorqueri, vel perrumpi tubulos excretorios, præſertim Disgregatarum, cum aliqua urethræ laceratione; proritari pollutiones, filamenta in urinis produci (t), gonorrhœas promoveri poſſe certum eſt: immò gonorrhœas fieri aliquando oſtendetur inferiùs. Incommoda.

Ità craſſities in hoc liquore contingit vel ab univerſali vitio ſanguinis craſſi, vel fixi in lympha potiſſimùm; vel à laxitate partis; vel à frigido, aut quopiam coagulante [ut acidæ ſunt, ac adſtringentes injectiones] ſuſcepto. A craſſitie.

Unde obſtructio canalium excretoriorum, ut obſtructa vaſcula ejaculantia obſervat Paul. *Amman:* Et Glandularum, & quæ ab obſtructione pendent inflammationes ſpuriæ præſertim, Tumores, tubercula diverſæ indolis, & concretiones argilloſæ, prout cum impetu, aut lenteſcentiâ, aut acrimoniâ univerſi ſanguinis, ac reliquorum humorum, glandularum iſtarum humoris craſſities conjungitur. Quem-ad-modum in glandulis, & canalibus ſalivariis hiſtoriam ha- In commoda.

(t) *Th.* Bartholinus *Epiſt. Reſp. ad Daniel.* Horſtium.

habet *Lentilius* (v), & Steph. *Blancardus* (x) H. *Roonhuyſe* (y), in lachrymali Ant. *Nuck*. Fortè jam contigêre glandularum præſertim *Adſtitum* tumores, aut per urethræ longitudinem tubercula in Disgregatis: inutile profectò non erit impoſterum animadvertere; utpote à quo multa poſſunt in excretione tum urinæ, tum ſeminis, totâque Genitalium œconomiâ morbosè contingere. Tuberculum illud inter collum veſicæ, & Rectum, dyſuriæ, & ſtranguriæ cauſa apud Fabr. *Hildanum* (z), fortè in *Adſtitibus* fuit. Dubiè dicere poſſumus glandulas ſub cervice veſicæ in Franc. *Mullero* obſervatas (a), hujus quoque generis fuiſſe. Fortè bina tubercula utrinque orificio veſicæ formâ, & magnitudine teſtium appoſita apud *Bartholin.* [cent. 1. hiſt. 23.] Adſtites fuerunt tumefactæ. Fortaſsè etiam lapilli è perinæo pueri educti (b), ab hiſce glandulis Adſtitibus pe-

(v) *Ephem. A.* 4. *dec.* 2.
(x) *Inſt med. c.* 12.
(y) *l.* 2. *obſ.* 34.
(z) *Cent.* 1. *obſ.* 71.
(a) *à Salona* Reiſelio.
(b) *Nic.* Pechlinus *apud Bonet. med. Septentr. T.* 1. *lib.* 3 *de Im. ventr. ſect.* 26. *cap.* 35.

petiti ſunt: cum mihi contigerit in Sene Renibus, Liene, Pulmonibus calculoſo obſervare in tubulis Proſtatarum, & Vaſorum Deferentium ad Urethræ principium Ejaculantibus, parvos, & inæquales calculos moleſtiam, & impedimentum tum urinæ ſuper-lapſuræ, tum ſemini effluxuro efficientes (c): Adeòque in Glandularum etiam iſtarum canalibus dari calculus aliquando poterit. Nec non urethra humore ſuo fraudatur, aut improportionato alluitur; ut latera urethræ viſcoſo iſto agglutinentur potiùs, quàm parietes lubricentur, & urethræ orificium ad glandem potiùs, ut quandòque contingit, occludatur. Dyſuriâm quatuor dierum à pituita meatum urinarium obſtruente, obſervat *Foreſtus* (d), ut & aliam ex limoſo humore Penem obſtruente.

Ab Acrimonia, incommoda.

Hujus autem liquoris acrimonia ab acri etiam univerſalium liquidorum craſi, aut per nimiam venerem, aut partis irritationem iſthuc converſa, conjunctis præſertim tenui partis texturâ, fibrarum tenſione, vaſorum plenitudine naturalibus,

(c) *Huic ſimile obſervatum fuit â Theod. De* Mayerne *apud Frid.* Loſſium *lib.* 1. *obſ.* 33.
(d) *lib.* XXV.

bus, vel morboſis, ſimplices producit Gonorrhœas, & cum inflammatione, abraſione, aut ulcuſculis ardorem, ac difficultatem mingendi, coeundique aliquod impedimentum apportat. *Aliquando*, inquit Georg. *Baglivus* (e) *ut ſæpè vidi, Gonorrhœa corripiuntur etiam homines cum muliere non infecta coeuntes. Id autem contingit in eis quorum ſanguis particulis acribus, ſalinis ſcorbuticis, vel alterius generis abundat, unde nimio concubitus æſtu univerſa pene liquida in motum concitatiorem poſita, undulando inclinat ad locum in quo major eſt oſcillatio: quæ quoniam eſt circa vaſa ſeminalia in inguine; ſi concubitus vehemens fuerit, ac ſæpè repetitus, ſingulæ partes acres ſalinæque, tunc excitatæ, & in motum poſitæ deponi circa pudenda incipient, ſemelque incepta depoſitione, veluti unda ſequente undam, aliæ quæ remanent in liquidis, circulando ibidem deponentur, & ſic fluxus perennitatem producent, quæ Gonorrhœa gallica videtur eſſe, ſed re vera non eſt,*

(e) *Tract de fibr. motr. & morb. ſpecim.* 3. *reliq. lib. de morb. ſucces. c. x. de morb. vener.*

eſt, quia cum muliere non infecta ſupponitur concubitus &c.

Gonorrhœæ ter geminam faciunt diviſionem Medici. Primam quâ dormientes per inſomnia, aut levi quavis occaſione, ſemineo liquore viri ac mulieres (f), frequentiùs ac ferè continuò, cum, vel ſinè voluptatis ſenſu fœdantur. Talis erat ille apud *Rhaſim* (g) & apud *Veſalium* (h) alter. Taliter affectus eſt Conſanguineus meus, eâ de causâ infœcundus, & ad Tabem dorſalem proclivis abſque luis minima ſùſpicione.

Secundam, quâ catarrhi (i), quandoque etiam cum geniturâ aquosâ, & tenui (k), permiſti ſpecie, aſſiduus moleſtuſque contingit fluor; De quo in mulieribus (l), ac in viris *Hippocrates.* (m)

Tertiam demum, quæ ex Lue venerea albidum, vel ſub citrinum virus, quandoque etiam purulentum (n) continuò

(f) *Ray.* Fort. *l.* 1. *cent* 1. *conſ. pro nob. virg.*
(g) *lib.* 24. *cont.* 3. *c.* 1.
(h) *De hum. corp. fabr. l.* 5. *c.* 13.
(i) *Cam* Tomas. *meth. cur cap.* 57. Veſling.
(k) Lang. *l.* 2 *ep.* 5.
(l) 1. *de nat. mul.*
(m) 2. *de Morb.*
(n) *Th. à* Vega *de diff. febr. comm.*

tinuò, nec ſinè dolore; præſertim inter mingendum, extillat.

Communis Medicorum conſenſus eſt primam pendere à tali ſanguinis, organorumque genitalium conſtitutione, ut copia (o) calore (p) aut acrimoniâ (q) ſeminis, ſanguine, ac ſpiritu turgente; Veſiculæ cum adjunctis ſuis affatim ſemen emittant; aut tenui ac evanido exiſtente ſemine, eædem etiam flaccidæ laxato ſphincterulo caruncular i (r) extillari ſenſim ſinè ſenſu (s), aut levi quavis occaſione (t), permittant. Fortè etiam obſtruuntur quandoque meatus veſicularum, ſeminale tenuius in ſanguinem revehentes.

Se-

(o) *Ut illa periodica apud Petr. Joh.* Prukel: *atque illa cum phimoſi, & urin. ard. apud Th.* Bonett.

(p) *Talis erat pollutio. illa noct. poſt. morbil. apud Geth. Sam.* Polit.

(q) *Velut à canthari d. aut, à cathart. priapiſm. ut exemp. teſt. apud* Plater *l.* 1. *obs. med. p.* 245. Sinebald. *l.* 3. *Geneatnbr. Tr.* 1. *c.* 12. & Tymæum *à Naſturt. ſeu ſiſimbr.* Schenk. *obſ. l.* 4.

(r) *Apud. Gul.* Ballon. *cons. med. lib.* 3. *cons. pro Iuv. ad Vener. inutil.*

(s) *Caſum habes. in Princ. quodam apud* Cnoefel. & *Theod.* Craanen, *lib. Medic.* 3. & *Balth.* Timæum. *cas. med.*

(t) *in mict. & egerend. conat. Gul.* Ballon. *cons. med.*

Secundam à phlegmatis ſalſi, vel crudi copia, vel putrilagine, organa ſeminalia imbuente, atque laxante, præcipuè Proſtatas in homine, utpotè glandulæ ſunt craſſæ, ac ſpongioſæ magis (v), in muliere glandulis vaginalibus, vel uterinis, præſertim quoque proſtatis.

Tertiam à venereo miaſmate vaſa ſeminea (x) veſiculas ſeminales (y) & Proſtatas (z) etiam in mulieribus (a) inſident, quibus inflammatis vel abſceſſis (b), ulcus conſequitur (c), aut laxitas (d), atque curatis calloſitas ſupervenit (e), aut in ſolis Proſtatis ulcus eſt (f) ipſa Gonorrhœa, aut à Thymis in urethra enatis puvulentam ſaniem exudan-

Tres Gonorrhœa ſpecies.

G

(v) *Gonorrh. ſpuriæ cathарr. quotanis eſt. achyem. redeuntis hiſtor. & curat hab apud Bened.* Sylvat. *cons. & reſp. med cent* 3. *pro Nob. Forojul.*

(x) Laug. *Epiſt.* 5. *l.* 2.

(y) *W.* Wedel. *de S. M. fac. c.* 100. & *pharm. p.* 231.

(z) *Jo.* Riol. *Ench. l.* 2. *c.* 39. *Steph* Blancar. *Inſt. Chir. c.* 42. *de Gon.*

(a) *Regn. de* Graaf *de mul org.* 9.

(b) Severin. *apud. Th.* Barthol. *cent.* 11. *hiſt.* 36.

(c) *Sylv.* De le Boè *append. tr.* 3. *ſes* 332 & *ſeq.*

(d) *Andr.* Moellenbroch. *Eph. Germ.*

(e) Wirſung.

(f) Rondolet. *Pract. l.* 2. *c.* 9. Palmar, 2. *de Lue. c.* 9. Welſch. *obſ.* 67. Ballon. *Epid. l.* 1. *p.* 160.

dantibus (g), aut à carnoſa virgæ ſubſtantià, primò inflammata, indè ulceroſa diatheſi affectà (h), aut à Penis nutrimento in ſaniem degeneraro (i); De inſectulo limaciformi in gonorrhœa infecti balano invento fides eſt Petr. *Borrellum.* (k)

Glandularum urethræ vitium in prima. In omnibus hiſce Gonorrhœis affici glandulas Urethræ minimè dubitarem. Nimirum quoad primam, legitimamq; Gonorrhœam, unà cum veſicularum ſeminalium vitio, illud etiam iſtarum glandularum conjungi, præter naturali pariter læſione ac naturali officio utrisque affini, atque communi.

In ſecunda. Quo-ad ſecundam par eſt ratio de glandulis urethræ, ac de vaginalibus in fluore albo, atque hanc urethræ virilis, ac illum uteri coryzam, à ferino quodam catarrho cum Bern. *Valentino* (l); apellare poſſumus, *ex continuo humoris nutritii abſceſſu, & fætidiſſima in hiſce glandulis corruptione. Fur eſt* [inquit præ-

(g) *Theod. De* Mayer. *T: de Arthrit.*
(h) *Th.* Syden. *Epiſt.* 2. *reſp. ad Hen.* Pam.
(i) *Car.* Muſit. *de lue. Ven. lib.* 3. *cap.* 2. *de Gon.*
(k) *Obſ.* 53.
(l) *Theop.* Bonet. *med. Septentr. part ult l.* 4. *de Mul. aff. ſect.* 1. *obſ.* 1.

prælaudatus *Valentinus*] *Tyrannus ille morboſus, in partibus glanduloſis ſtabulans; qui non vicinas modò, ſed omnes inſimul corporis humani partes ſuo defraudans nutrimento; in putrida hæc liquamina præcipitat.* Atque hæc perfacile poſt gonorrhœas venereas contingit, facta nimirum ad haſce partes via; & ſtimulo ad eaſdem proritante, eô maximè quod cùm ſubſtantia glandularum veſicularis ſit, faciliùs diſtendi poteſt; tubulique, cùm ſint tenelluli, faciliùs erroduntur. Idque maximè; ſi vitium proſtatarum adjungatur, non modò in ipſamet glandula ejuſque ſuccis, ſed & in vaſis magno plexu Glandulas complectentibus, quæ ſæpius varicoſa, & polipposo ſanguine obſtructa, aliquando & calculoſis concretionibus impedita comperi. Ab acri urina leve aliquod ſtillicidium ſeminalis materiæ ortum notat Raymund *Fortis.* (a)

(a) *Conſ. & reſp. med. Tom.* 2. *cent.* 3.

In Tertia.

In tertiâ verò, nimirum virulentâ; Glandulas noſtras affici, immò primam has eſſe morbi hujus ſedem; ratio illa manifeſta videtur, quam in præfatione attigimus, quòd facilius ſit venerea miaſmata viciniorem partem; utpote ſunt hæ glandulæ, ingredi, quàm, ut proſtatæ ſunt, remotiorem. Secundò. Quòd

ſatis liqueat, ab hiſce glandulis provenire liquorem puriformem poſſe. Tertiò. Dolor ille, qui per totam urethræ longitudinem perſentitur, non ſolùm ejuſdem fundum per proſtatas, ſed totum urethræ tractum per glandulas ſuas affectum eſſe manifeſtò commonſtrat. Quartò. Ex eo quòd dolor urgeat ubi confertiores ſunt glandulæ, nimirum ad urethræ foſſulam. Quintò. Quòd in aliquibus gonorrhoicis cadaveribus nullum in proſtatis vitium compererim, ſed urethram dumtaxat phlogoſi affectam, Diſgregatas turgidas, & viroſo liquore ſcatentes. Sextò. Noſtram confirmare ſententiam videtur gonorrhœâ laborantium duorum cadaverum diſſectio habita à Steph. *Blancardo* (a) qua Proſtatas non ſemper in vitio eſſe deprehendit, ſed veſiculas parvas *in interna penis parte excitatas, purulentamque materiam fundentes.* Septimò. Aliter difficilis admodum eſſet via quâ venenum hoc gonorrhoicum viris communicetur, luculento ejuſdem *Blançardi* (b) teſtimonio: *Viæ, per quas*

(a) *Inſt. med. Chir par. 3. cap. 42. de Gonorrhæia.*

(b) *loc. cit.*

quas humor iſte, ſeù potiùs venenum in proſtatas ducitur, non adeò ſunt manifeſtæ, ideòque rès hic accuratè rimari oportet. Per arterias adduci nequit, quia vaſa hæc ſanguinem quidem adducunt, ſed nunquam versùs ſuperiora reducunt; neque venæ eſſe poſſunt, quoniam illæ ex omnibus partibus ſanguinem ſuperfluum ex tenuioribus vaſculis ad majora, & ampliora revehunt, neque nervi, neque vaſcula lymphatica ſunt. Quales itaque vias demonſtrabo? &c. Dico me peculiares ignorare vias. Quam-obrem alio quodam modo rem exponit eleganter.

Inventis autem Urethræ glandulis res tota in plano eſt. Suppoſito enim ex omnibus hujus ſæculi Authoribus, in quorum ſententiam priores etiam coincidunt, infectum liquamen muliebre particulis ſalſo-acidis tenuibus, acvolatilibus præſertim ſcatere. Ejusdem vividè tunc agitati halituoſa portio quædam in apertam tunc Urethram, pariter ac maſculi ſeminis aura in oſculum tubasque oterinas, inſinuat ſe ſe. Atque illius in morem connubit mucoſo liquori urethræ ſuperficiei & eidem pertinaciter adhæret, non ſinè aliquo inter utrumque liquorem inteſtino motu; indeque

In tertia præſertim.

emicans ſalina portio tubulos, folliculoſque glandularum ſubit, earumque ſuccis in miſcet ſe ſe, membranulas folliculorum ſtimulo ſalino corrugat, ab iisque exprimit in folliculi cavitatem copioſiùs glandulare fluidum; Ac poſtquam aliquandiù in folliculo nidulaverit, fermentatur, folliculum diſtendit, fodicat, humorem copioſiorem ê glandula prolectat, ſibique viam vel rupto canaliculo violenter aperit. Undè ruptâ, perforatâ, vel eroſa glandularum compage atque perversâ, ſuccoque nutritio expreſſo, atque corrupto, copioſus fit, aſſiduus, & ſanioſus liquoris profluxus, & velut de glandulis inteſtinalibus *Couſ. depaſcunt glandulæ dum exprimuntur, madorem exprimentes reliqui corporis abundantiam.*

Acris afluens lympha tunicas, nec non eorum tenerrima vaſcula erodit, inflammationem, indè exulcerationem excitat.

Lib. de Gland.

Hinc eſt quòd primis ab impuro coitu diebus tenſio quædam in Urethra præſentitur, indèque fermentatis jam liquoribus, auctaque preſſione primo ſeminiformis, indè acore aucto eroſis follîculis, nutritius etiam formâ puris emanat liquor; qui pro ratione veneni quod ſuſcipitur, ac humorum ſuſcipientis, corruptione remiſſiore, aut intenſiore, ac ſalium indole, colorem obtinet album, cinereum, flavum, aut ſubviridem. Quan-

Gonorrhœæ Ven. efficiendi modus.

Quandòque etiam læſis profundiùs vaſis ſanguineis, ſero commiſcetur ſanguine affatim tincto, aut facto affluxu humorum vitioſorum diſcepulotica; aut vitio partis cachectica fit Gonorrhœa.

8. Ab hac Glandularum, & membranarum urethræ diſtenſione, ac ulceroſa diatheſi *magnus ille doloris ſenſus in Pene quoties erigitur: perindè ac ſi valida manu conſtringeretur, qui noctu præcipuè urget, quoties in lecto æger cæpit incaleſcere.* Hinc etiam illa veretri incurvatio, quam *Chordam* vocant, quòd Phlogoſi tensâ, & dolorificè contracta urethrâ, nervoſis penis corporibus obſequi minimè poſſit. Chordatæ. Irritatione velut inflammatione erectionem continuam molientibus.

9. *Ità ardor urinæ, qui plerumque inter mingendum vix percipitur; at verò æger jam à mictu ceſſans per omnem urethræ ductum acriter admodum uritur, maximè quà in glandem deſinit.*

10. Porrò ſenſim diffunditur lues, & proſtatis etiam communicatur, tuncque Gonorrhœa curatu difficilis & copioſa (a), ac diutina; ut illa Bergomenſis illius apud Th. *Bartholinum* (b), Progreſſus Gonorrhœæ.

 con-

(a) *Ut illa apud Andr.* Mollebrok *in ephem. Germ.*

(b) *Cent.* 11. *hiſt.* 36.

contingit. Neque ego *Vrſingo* inficior *tria cadavera gonorrhœa extinctorum* ſecanti, in quorum proſtatis veſtigia ulcerum, & cicatrices manifeſtas animadvertit. „ Ego certè in cadaveribus longâ gonorrhœâ afflictorum ulcera in „ proſtatis comperi, non ubi tubulatæ „ ſunt, ſed in eâ proſtatarum productione, quæ brevibus ductulis, apertiſque orificiis facili exitu è Granulis „ glanduloſis eructat liquorem limpidum magis atque ſeroſum, quàm ſuperior atque globoſa portio proſtatarum; de quâ re Obſervationem habes tertiam. Immò etiam propagatum, profundiuſque inſertum virus, „ in prædiſpoſitis præſertim corporibus, „ Phagedenico more urethram, ac veſicæ collum exedit, atque tum in „ meatu urinario, tum in cervice veſicæ carneas excreſcentias producit, ac „ Perinæum, immò Anum, ac ſcrotum ulcere fiſtuloſo perforat, unde „ urina quaſi cuniculis factis continenter extillat; Quales ego vidi duos, „ alterum ſalivatione mercuriali, ac topicis ſanatum, alterum, quem nulla „ curare opera potuit, viventem adhuc; „ & quod mireris, non adeò malè valentem, & Janitoris officium apud

In Proſtatarum apendicem.

In Perinæum.

In Scrotum.

Il-

„ Illuſtriſſimum D. Comitem de Verruca Dominum meum, alacriter fungentem, treſdecim licèt fiſtulis ad haſce partes perfoſſum.

Quem ad modum etiam veſiculas ſeminales infeſtat, immò facilè etiam teſtibus communicatur, quam *Herniam veneris* vocant; ubi victu, motu, remediis incraſſatur, rareſit, adſtringitur, urgetur infectus ſeminalis liquor: In Teſtibus ut ibi ſtagnet, atque diſtendat; In Proſtatis, veſiculis ſeminalibus, aut Deferente, ut in iiſdem corrugationem, diſtenſionem, pſeudo-phlogoſim efficiendo impediat fluxum à teſte; ſicque diſtendantur inteſtinula teſtium, comprimantur ramuli ſanguinei, atque lymphatici, ulteriuſque diſtendantur, tandemque rumpantur. Sed & alius eſt producendæ Herniæ venereæ modus, ſi glandula conglobata à fundo urethræ, Proſtatis, veſiculis ſeminalibus, Deferente, atque etiam Teſte lymphatica recipiens, lympham, aut venereo, aut adſtringentium, vel injectorum, vel aſſumptorum acido, & coagulabilem affatim combibat, eodem modò, ac glandula inguinalis per lymphatica penis venereum venenum abſorbet, atque in Bubonem extumeſcit; ità glandula ſeminalium Bubone

In veſiculas ſeminales, & Teſtes.

Hernia venerea.

Alius Herniæ venereæ modus.

ne quodam, ità dixerim, extumens, teſtium vaſa lymphatica obſtruendo, ſanguinea comprimendo, utriuſque regreſſum à teſte impediet, cogetque in teſte eodem excreſcere.

Quòd ſi verò ulteriorem moram trahat, aut veneni activitatem ſorbeat, ſuæque fracedinis fermento maſſæ ſanguineæ craſim perturbet, tandem Luem veneream per corpus diſpergit.

OBSER-

OBSERVATIONES MEDICÆ, ET ANATOMICÆ

De Glandularum Urethræ Morbis.

I.

Illuſtriſſimus Comes N. N. æt. A. 7. circiter, temperamento ſeroſo-acri, conſtitutione molli, tali corripiebatur gonorrhœâ, quâ ſub-albidum ac viſcidum quidpiam continuò extillabat, non ſinè ardore inter mingendum, totiuſque corporis emaciatione. Gonorrhœa ſimplex in Puero.

Repetitis purgationibus ex caſſia præſertim; Juſculis demulcentibus ex althæâ, malvâ, ſem. melon., tandem al-Kalico-reſinoſis, nimirum ſuccino albo præp. & ſtib. diaphor., ex bolo conſervæ roſarum, unà cum juſculis, & liquore poſſetico ex lignis ſantal. citrin. & ſaſſafr., victuque humectante, & abſtemio, perfectè curabatur. His nempè minor crudi diſpeptique chili, adeòque lymphæ ſalſo-acidæ proventus effectus eſt, quibus tum ſuccus glandularum, tum urinarum depravabatur.

II. Filia

II.

In Puella. Filia Auguſtini *Aymar* Annorum 7. fluore albo in morem ſeri lactis nundum clarificati emittebat copioſè, non ſine ardore aliquo, & pruritu. Taliter conſtitutam Nobilem Puellam 9. circiter annorum, repetitis blandis purgantibus, & pulveribus teſtaceis percuratam vidi.

III.

Strangurioſus ab ulcere calloſo urethræ. Anno 1702. 15. Aprilis die Sabbati Tabe conſumptus in Noſocomio S. S. Mauritii, & Lazari obiit quidam, cui ad hæc confirmanda urethram unà cum veſica eximebam, favente Illuſtriſſimo D. Paulo *Riccha* Medico Regio Primario, & Mecænate meo optimè merito. Veſicam reperi prorſus exinanitam atque contractam, intus vaſis ſanguineis admodum variegatam, uti quoque ad urethræ principium. Paulò infra, nempè ad extremum acutæ productionis caruneulæ ſeminalis, interna urethræ tunica inæqualis apparebat ac aſpera, & exſucca, ita ut velut excocta videretur. Hìc primum eſt ubi Proſtatas obſervabam productionem quandam glandularem emittere, ſenſim gracileſcendo ad uſque corporis ſpongioſi principium, è laterali regione

regione urethræ ad ſuperiorem uſque inſiſtentem; Ex his plurimi emittuntur foras rivuli inordinatâ ſerie, ita tamen ut totam regionem occupent, quæ proſtatarum protuberantiam, & ſpongioſum tuberculum interjacet, nempè ab infima portione carunculæ ſeminalis per totum tractum, qui acuta ſeu roſtriformi carunculæ productione dividitur. Hæc autem oſtiola in dato ſubjecto ampliora erant admodum, & velut foſſulis excavata. Mox occurrebat portio jam dicta velut excocta, quæ foſſulis quoque plurimis excavabatur verè ulcuſculoſis abraſâ etiam ulcuſculis tunicâ.

Paulò infra, nempe ad regionem quà muſculi conſtrictores, ſeu Acceleratores deſinunt, tota urethra ad altitudinem transverſi ſemidigiti minimi velut calloſa erat, ac contracta; Interior membrana verè exeſa multis ſcatebat ulcuſculis, liquorem ſub viridem, ac virulentum deponentibus. (a)

Conglomeratæ noſtræ omnino erant exiguæ, & exſuccæ, & canalis exiguiſſimus, ùt eorumdem hiatus in urethram nullo

(a) *Gangrenoſim cum aliquali duritie contraxerat.*

nullo modo aparuerit; horum tamen apertio ibi eſſe loci ſolet quà ulceroſam maximè urethram notabamus

Urethræ reliquum paſſim leviter excoriabatur, ejuſque glandulæ diſgregatæ nihil liquidi emittebant.

I V.

Gonorrhoici urethra alterata præſertim ad productionem glanduloſam Proſtatarum infra proceſſum roſtriformem carunculæ

DIe Jovis 20. Aprilis Anno 1702. Quidam cranio ad meditulium inciſo, interiori oſſis tabulâ illæsà pœnitùs nullis ſimptomatis ad uſque vigeſimam morbi; Indè rigori febre, febri convulſione ſuperveniente, vigeſimâ ſecundâ morbi obiit. Cranio reſecto D. *Faſſina* S. R. C. Chirurgus primarius; Vir omni virtute ſcientiâque ornatus, ea quæ prudentiſſimè conjectatus fuerat, prænoverat, prædixeratque, invênit me præſente omni veritate veriora; Supra duram meningem nihil occurrebat extravaſatum, ſupra Piam autem, & cerebrum, ad baſim uſque cerebri ad dextrum hemiſphærium fætidiſſimum pus exundabat. Cum intellexiſſem hunc Veneri indulgentem, Gonorrhœâ cum ulcuſculis venereis detentum, totum Virile unà cum Veſica eximebam, & primò adno-

adnotabam Glandem extremè lividam, cui ad foſſulas, quibus ad partem glandis inferiorem ad latera Frænuli præputium excavatur, duo excitabantur ulcuſcula parva, quorum alterum non profundiùs admodum excavabatur, alterum aduſque urethram profundiùs agebatur, cuniculo velut canali cartilagineo & fiſtuloſo, qui in ipſa urethræ ſubſtantiâ, leviùs tamen deſinebat. Apertâ verò urethrâ obſervabam primò diſtinctum illud Proſtatarum corpus poſticum, quod ductus ſuos ad partem carunculæ ſuperiorem emittebat. Carunculæ ſeminalis productio roſtriformis multos hinc indè ad latera emittebat tubulos, adjacens verò tractus, ſupra deſignatus in caſu ſuperiùs expoſito, multis ſcatebat oſtiolis à glandosâ proſtatarum productione, quæ tamen non adeò craſſa erat, ac in caſu ſupra explicato. Morboſi autem ad Gonorrhœam id fortè erat primò, quòd à glande ad medium ferè urethra velut inflammata liveſceret, prope Proſtatas verò, & præcipuè in roſtriformi productione Carunculæ, aereis veſiculis paſſim elevaretur, quibus compreſſis excurrebat per longum urethræ aereus veluti rivulus, hisque aereis veſiculis urethræ infra proſtatas regio aduſque

cor-

corpus ſpongioſum paſſim inæqualis, extuberabat: Quoad glandulas verò Proſtatas, & glandulas noſtras nihil contingebat peculiare.

V.

Gonorrh: ab inflammatione Diſgregatatum. Urethræ.

Anno 1703. Præſente Illuſtriſſimo D. *Ravetti* Medico eximio, & Fautore meo ſingulariſſimo, ſecabam cadaver Gonorrhoici cujuſdam, in quo urethra omninò inflammatione liveſcebat, glandulæque Disgregatæ inmodicùm extumebant.

VI.

Aneuriſma ſiniſtri canalis Adſtitum conglomeratarum.

Favente eodem Promotore meo ſtranguriosus quidam Annorum 13. aut 14. vix puber, cadaver mihi ſuum ſecandum reliquit, & in urethra miram ſtranguriæ cauſam obtulit. Nempe ad radicem urethræ ad regionem Acceleratorum occurrebat veſicula inſtar ſacculi oblonga ferè pyriformis; niſi quod ſubrotundum alioquin fundum transverſus ſulcus anguſtaret, atque divideret, cujus pedunculus urethræ versùs Proſtatas, reliquum corpus per longitudinem urethræ porrigebatur, ut ejusdem

dem fundus illius apicem ſpectaret: Cœcus undequaque in urethræ cavitatem erat ſacculus, tenui membranâ pellucicidus; apertus liquorem pellucidum; atque glutinoſum effundebat ad ſemicochlear ferè. Inſuflatus per ſectionem in ſacculum aer nullo in cavitatem urethræ hiatu perſpirabat; at quidem versùs Adſtitem ſui lateris congloineratam converſô ſiphunculô flatus ad Glandulam uſque pertingebat, eodemque modo immiſſus etiam ſtilus pergebat. Adeoque conſtitit Sacculum illum membranoſum nihil aliud eſſe quàm ſiniſtri canalis Adſtitis conglomeratæ Aneuriſma ab ejuſdem canalis obſtructione, ad urethræ ingreſſum facilè ob enarrata ſuperiùs impedimenta contingente; Velut in ductibus naſo lachrymalibus, atque etiam ſalivalibus quandoque contingit. De cætero Veſica diſtenta enormiter atque inflammiata; ejuſque cervix nicroſi affecta, caruncula ſeminalis lacerata. Quæ oſtendere curavimus, licèt imperitiùs, excuſâ.

FIGURA I.

A Veſicæ urinariæ versùs collum portio (reliquo corpore ablato) inflammata, ac vaſis ſanguineis plurimis variegata.

A. Caruncula repetitô cathetere lacerata.

C. Adſtitum conglomeratarum canalis dexter naturaliter conſtitutus.

D. Veſicula ex ſiniſtro Adſtitum conglomeratarum canali occluſo eformata.

EE. Proſtatæ in principio Pubertatis, & per expreſſionem multiplicem inter micturitiones factam, exſuccæ.

FF. Muſculi Ejaculatores.

GG. Urethra non-nihil inflammata.

HH. Corpus Glandis.

FIGURA II.

Appoſitâ tabulâ exhibetur Veſica urinaria humana, unà cum Urethra virili, ablatis nervoſis Corporibus, per longitudinem ſuperiorem à Glandis extremo ad uſque Veſicam diffiſſa, omnia naturali magnitudine picta. Præcipuè tamen animus fuit exhibere glandulas Urethræ Conglomeratas cum canalibus ſuis, & Disgregatarum per Ure-

Urethræ longitudinem oſtiola, & canaliculos varios, nec non Antiquorum Cervicis Veſicæ Sphincterem. Reliqua ad Figuræ complementum potius, quam ad rem meam addebam.

A, Veſica urinaria anteriùs e regione Cervicis ad uſque medium ſecta.
a. Veſicæ Fundus.
B. Cervix.
CC. Ureteres.
cc. Ureterum obliquus in Veſicam ingreſſus.
DD. Vaſa Deferentia.
dd. Vaſa ad Veſiculas ſeminales excurrentia.
EE. Veſiculæ ſeminales.
F. Urethræ principum.
G. Caruncula ſeminalis cum duobus oſtiolis Ejaculatoriis.
g. Carunculæ acuta ſeu roſtri formis productio.
HH. Proſtatæ.
II. Muſculus ſtatim infra Poſtatarum protuberantiam Urethræ ſuper extenſus, ſeu Pſeudo Sphincter, utrinque revolutus.
ii. Urethræ portio huic Muſculo ſubjecta.
K. Tuberculum ſpongioſum Urethræ appenſum.

L. Muſculorum Acceleratorum alter ad majorem claritatem appoſitus.

MM. Adſtites Conglomeratæ.

mm. Earum Ductus Urethræ ſuperficiem excurrentes.

NN. Horum ductuum orificia ſuillam ſetam minorem ad uſque Glandulas inſinuandam admittentia.

nnnn. Minores Ductus, parvaque Orificia Diſgregatarum Urethræ Glandularum.

OO. Majores Glandularum Diſgregatarum ductus ſetulam excipientes.

o. Ductus medius ad Glandis oſculum ſetulam tenuiſſimam admittens.

PP. Nervoſa Urethræ Tunica

pp. Tunica media ſpongioſa

QQ. Exterior fibroſa.

RR. Glans per medium ad partem ſuperiorem ſecta.

rr. Glandis labella diviſo Urethræ oſculo.

S. Cavernula Urethræ, Glandi ſubjecta.

F I N I S.

CATALOGUS LIBRORUM,

Aliquot Medicorum,

qui in Officina

BOUTESTENIANA,

Reperiuntur & Venduntur.

A.

Acta Lipſienſia cum ſupplementis & Indicibus, Compleet.
Alpinus de Præſagienda Vita & Morte, 4.
——— de Medicina Ægyptiorum, 4.
——— de Medicina Methodica, 4.

B.

Barchauſen Elementa Chymiæ, 4.
Bellini Opera Omnia; 2. voll. 4.
Bennet Theatrum Tabidorum, 8.
Berengarius de Fractura Cranii, 8.
Blancardi Lexicon Medicum, 8.
Boerhaven Inſtitutiones Medicæ, 8.
——— Aphoriſmi, 8.
——— Materia Medica, 8.
Boneti ſepulchretum Anatomicum, 3. voll. Folio.
Borellus de Motu Animalium, 4.

C.

Car. Piſonis Obſervationes & Conſilia, 4.
Caſtelli Lexicon Medicum,
Celſus de re Medica Cn: Almeloveen, 8.

Cheſne-

Cheſneau Obſervationes Medicæ, 4.
Cockburn Virulenta Gonorrhœæ ſymptomata, &c. 8.
Cowper de Glandulis, 4.

D.

Dale Pharmacologia cum ſupplemento, 2 voll., 8.
Deſcription des Os par Monſr. Petit, 12.
Diemerbroek Opera Omnia Anatomica, Folio
Duretus in Hippocratem, Folio.

E.

l'Emery Cours de Chymie, 8.
Eugalenus de Scorbuto, 8.

F.

Freind in Hippocratem, 4.
——— Emmenologia, 8.
——— de Purgantibus, 8.
——— Operationes Chymicæ, 8.

G.

Gaukes Praxis Medico Chirurgica, 8.
De Graef Opera Omnia Anatomica. 8.

H.

Hamilton de Febre Miliari. 8.
Harris de Morbis infantum. 8.
Hecquet de Purganda Medicina. 12.
Hippocrates Opera Omnia cum notis Foeſii, 2. voll. Folio.
——— Aphoriſmi ex editione Almeloveen. 24.
Hollerius in Aphoriſmos Hippocratis. 8.

K.

Kerckringii Opera Omnia. 4.

L.

Leeuwenhoek Opera Omnia 4. voll. 4.

Lom-

Lommii Obſervationes Medicinales. 8.
——— de Curandis Febribus. 8.

M.

Malpichii Opera Omnia. 4.
Markgravii Materia Medica. 4.
Mauriceau Maladies des Femmes Groſſes & ſes Obſervations 2. voll. 4.
Muſgrave de Arthritide Anomala. 8.

P.

Palfin deſcription Anatomique de parties de la femme, qui ſervent a la Generation. 4.
Pechlinus de Purgantibus. 8.
Pharmacopea Extemporanea Fulleri. 8.
Pharmacopea Leydenſis.
——— Amſtelodamenſis.
Pitcarnii Opuſcula. 4.
——— Elementa. 4.

R.

Ramazzini Opera Omnia. 4.
Redius de Inſectis 2. voll. 12.
——— de Animalibus. 4.
Riverius Reformatus 2. voll. 8.
Ruyſchii Opera Omnia. 4.

S.

Sanctorii Medicina Statica. 12.
Sylvii de le Boe Opera Omnia. 4.

Swam-

Swammerdam Uteri Muliebris Fabrica, 4.

T.

Tulpii Obſervationes Medicæ, 8.

V.

Valſalva de Aure humana, 4.

W.

Wepferi Cicutæ Aquaticæ, 4.

Et adhuc multi alii libri in omni facultate.

Fig: 8



Fig: 2



